

17. H. B. J. Müller profess in Chemberg

JURIS
ECCLESIASTICI

7
7

In quinque Libris
DECRETALIUM GREGORII PAPÆ IX.

CONTENTI

ANALYSIS SUMMARIA

Novissimis Constitutionibus Ss. PP.

Decretis præcipuè S. CONCILII TRIDENTINI

ACCOMMODATA

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI
ac AMPLISSIMO DOMINO

DOM. CŒLESTINO
HANSEN

Abbatix Tuitiensis sub Titulo B. M. V. & S. Heri-
berti, Ord. S. Benedicti, Congreg. Bursfeld. Abbati

ac Prælato Dignissimo, Civitatis Unnenfis ac Sarrapix Hammenfis Archi-
Diacono, in Vehn, Leichling, Pilkumb, Eschweiler, Langel,
cæterisque locis annexis Fundi & Feudi Domino, &c.

Mecœnati Colendissimo.

OBLATA & DEDICATA

Præside R. P. AMBROSIO CARO,


Benedictino Tuitiensi, Ss. Theolog. Licentiate & Lectore,
Defendentibus RR. PP.

P. PLACIDO STUTZ, P. EMILIANO BEEHREN, & P. THEODORO HANSEN,
Benedictinis Tuitiensibus.


Tuitii in Abbatia publicæ disputationi exposita

1748. Die 25. Junii horâ 7mâ matutinâ & 1mâ pomeridianâ.

Colonix Agrippinx Typis Viduz Nicolai Theodori Hilden, in Platea
Unctoria prope Plateam Novam.



Mewjous sec. Col.



REVE-

Reverenda
 ac A
 D. P
 Patr
 Revulum Ste
 rem genti
 nullum in
 avitam in
 indicium in
 fedech hoc
 notitia penit
 Sine Patre
 fosem visa, à
 semper in eode
 hae immozque h
 na, qui recte Deo
 ment justitia; ac vi
 rentiam lucem, ut
 io, quam urfa ce
 e circumscibitur;
 hoc emblemate (q
 zena derivari posse
 MELATE, qui falla
 ricaliti pede, secun
 hic seculum mare
 tum semperstater ten
 tenquam se in
 ma, inquit, m
 in Sacro Ordine, à
 parentez omnino
 amovendus, vel
 complures linez,
 na actiones & r
 refluxi, & om

Reverendissime, Perillustris
ac Amplissime Domine
D. P R Æ L A T E
Patrone Gratosissime



*Circulum Stellâ radiantem subterfluente Flumine superio-
rem gentilitium tuum nobis exhibet insigne: Circulus
nullum initii sui vestigium habens sua principia celat; quod
avitam indicat mentis nobilitatem, quæ nullum originis suæ
indiciam investigat. Antiquus ille Rex & Sacerdos Melchi-
sedech hoc encomio cum primis spectandus, Genealogiam
ab hominum notitiâ penitus absconditam habuit: erat enim Apostolo te-
ste ad Hebr. 7. 3. Sine Patre, sine Matre, sine Genealogiâ, neque initium Die-
rum, neque finem vitæ, à sacris literis commemoratum, habens. Stellæ
firmamenti semper in eodem loco & situ, quem à Deo assignatum olim ac-
cepere, fixæ immotæque hærent; nec aliunde, quam à sole splendorem
quærunt; ita, qui rectè Deo famulantur, illi soli affixi manent, & sub illius
se continent justitiâ; ac virtutis à Deo acceptæ splendore contenti om-
nem adventitiam lucem, ut supervacaneam rejiciunt. Septena Plejadum
constellatio, quam ursa cœlestis comitatur, hoc Virgilio hemistichio ceu
lemmate circumscribitur: Oceani spretos pede reppulit amnes. 4. Georg.
rectius hoc emblemate (quamvis aliàs à Flumine tuo gentilitio abundans
laudis materia derivari posset) condecorandus venis Reverendissime Domi-
ne P R Æ L A T E, qui fallaces ac turbidas hujus mundi aquas generoso
semper calcasti pede, secundum monitum Doctorum Principis Augustini
in pl. 39. Hoc saculum mare est, habet amaritudinem noxiam, habet fluctus
tribulationum, tempestates tentationum; habet homines velut pisces, de suo malo
gaudentes & tanquam se invicem devorantes. Quid igitur in tantis malis con-
siliis? calca mare, inquit, ne mergaris in mari. Quamprimum igitur pedem
posuisti in Sacro Ordine, à sæculi actibus te demonstraisti semper alienum;
propriæ parentelæ omnino immemor, à proposito semel concepto nun-
quam dimovendus, veluti Stella, nunquam mutatus aut maculatus;
ac sicut complures lineæ, è peripheriâ versùs circuli centrum omnes du-
cuntur; ita actiones & res singulas directâ lineâ ad Deum velut unicum
centrum reflexisti, & omnia intra spheram divinæ bonitatis continuisti.*

Hinc

Hinc grandis meriti, Doctrinæ & Pietatis excellentiâ semper resplendisti, & sicut *Flumen* crescit eundo, ita de virtute in virtutem fecisti progressum. Unde & juris ratione (cum Parochiam *Anrathensem* per plures annos rexisses *Pastor* Vigilantissimus, prædicando Verbum, instando opportunè, importunè &c. te ipsum præbens exemplum bonorum operum) anno 1738. Abbatia nostrâ viduatâ, unanimi calculo electus es *Abbas* Dignissimus. à quo tempore inter alias sollicitudines tum spiritualium, tum temporalium rerum, Zelosè providisti, ut tibi concrediti (quorum animos nôsti subtiliter pervadere, fortiter trahere, suaviter movere) scientiâ salutarî & necessariâ, quâ tum sibi, tum proximo possent proficere, imbuerentur: nos præprimis ad sacrum Ordinem à te ascitos, emenso post Philosophicum Theologia, tum Speculativâ, tum Moralis cursu, memor illius S. P. N. Reg. cap. 48. *Ociositas inimica est anima: & Veriloquii Senecæ: alit lectio ingenium, & studio fatigatum, non sine studio tamen reficit*, iussisti, ut Juri Canonico (quo Theologia moralis firmaretur) operam daremus; ne primæva vitæ Benedictinæ ex contemplativâ & activa mixtæ institutio (quam satis loquuntur: tum illius per plura sæcula hucusque continuata executio, tum vita S. P. N. à M. GREG. conscripta libr. 2. Dial. in quo cap. 8. refert, quòd S. Pater veniens ad Cassinum montem *commorantem circum quaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat*. Jam autem *Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit* ibid. cap. 36.) in nobis deficeret, & ut sic tandem fecunditatem Lix, ob quam illius lippitudo Rachelis pulchritudini est prælata, imitaremur, & cum Marthâ circa frequens ministerium satageremus. En conspectui Reverendissimæ Tuæ Dignitatis nos sistimus, probaturi, quem progressum fecerimus; judica, an intentioni tuæ respondeamus, si minùs, conatum saltem non argue. In gratitudinem interim pro collatis beneficiis Deum O. M. rogabimus, ut multos annos tibi indulgeat, & pro meritis tandem Divorum Cœlitum beatitudinem nullo ævo terminandam, *Circulo* non incongruè significatam (sicut B. Albertus Magnus in Apoc. 2. 10. illa vatis Apocalyptici verba interpretatus: *Dabo tibi coronam vitæ*, ait; *vitam interminabilem, quæ significatur in corona, quæ est circularis, & circulus non habet principium, neque finem*) retribuat: & cum ad justiciam erudieris multos, quasi *Stella* fulgeas in perpetuas æternitates *Dan. 12. 3.* ita vovent

Reverendissimæ Dignitatis Tuæ

Obedientissimi Filii
Lector & Discipuli.

PROLEGOMENA JURIS CANONICI.



Us Canonicum, si nominis Etymon spectes, à voce *Canon*, quæ regulam significat, dictum est *c. i. dist. 3.* sicque describitur: jus positivum ex Sacris Canonibus collectum, & ad rectè vivendum, æternamque salutem consequendam & justitiam in populo Christiano conservandam institutum. Origo illius congruè desumitur à Deo (hinc studium Juris Canonici *studium Divini Juris* appellatur *cap. 2. de Privil. in 6.*) qui statuit præcepta Decalogi, quæ deinde S. Pontifices in suis Canonibus circa singulos casus & hypotheses latius exposuerunt. Canones Jus Divinum declarantes & reliqua ad gubernationem Christiani populi pertinentia statuentes primò ab Apostolis introducti & à CLEMENTE I. Rom. Pont. in unum congesti ac Canones Apostolorum nuncupati sunt: postea Ss. PP. varias sanctiones Canonicas addiderunt, ex quibus compositum est CORPUS, ut vocant, JURIS CANONICI, quod dividitur in sex partes sc. *Decretum Gratiani* (sic dictum à suo Authore Gratiano Bononiensi Ord. S. Ben. cui universim autoritas legis non convenit, ob approbationem tamen GREG. XIII. meretur fidem quòd ea, quæ in ipso referuntur, cum suis originalibus concordent; cæteroquin Canones in eo positi revocantur ad primævam autoritatem) *quinque libros Decretalium GREGORII IX.* jussu hujus à Raymundo de Pennafort suo Capellano & Pœnitentiario conscriptos constantes præcipuè ex *Decretalibus Epistolis*, quas Ss. PP. in dubiis quæstionibus juris interrogati se consulentibus rescripserunt, quæ jam in Corpus juris relatæ autoritatem legis obtinent, non tantùm quoad textus, seu ut vulgò dicitur: *nigrum*, sed etiam quoad *rubrum*, & quoad superscriptiones Capitulorum: summaria licet sint Doctrinalia, non tamen sunt authentica; horum librorum materia comprehenditur hoc versu:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Sextum Decretalium (sic dictum, quod V. libris GREG. IX. sit adjectus) BONIFACII VIII. qui derogat Decretalibus GREG. IX. si cum illis conciliari non possit. *Clementinas* à CLEMENTE V. tum in Conc. Viennensi, tum ante & post illud editas, at à JOANNE XXII. promulgatas & pro Judiciis & Scholis Apostolicâ autoritate roboratas. Et *Extravagantes JOANNIS XXII.* & *Extravagantes Communes*: extra Corpus Juris sunt adhuc alii libri, quibus Jus Canonicum continetur, at disparis sunt autoritatis: indubitata est autoritas Conciliorum generalium, quorum novissimum est CONCILIUM TRIDENTINUM, ex quo pariter Jus novissimum desumitur; in quod, in bullâ ejus confirmatoriâ, quæ incipit: *Benedictus Deus*, ne quis sine autoritate Rom. Pont. audeat ullos commentarios, glossas &c. edere, Prælati sub interdicti ingressûs Ecclesiæ, aliis verò sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis prohibuit PIUS IV. qui tamen pro dubiis in executione Decretorum dicti Conc. occurrentibus in motu proprio; qui incipit: *cum alias nos nonnullas* deputavit Congregationem octo Cardinalium, qui eadem dubia interpretarentur; quorum declarationes vim legis obtinere, tanquam indubitatò verius judicamus, modò fiant consulto S. Pontifice, juxta Constit. SIXTI V. quæ incipit: *immensa* & Cardinales

les solùm declarent, non verò dispensent, aut ultra verborum proprietatem legem extendant, nisi de speciali mandato S. P. & declarationes ipsæ ostendantur in formâ authenticâ cum solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfetti ac secretarii ejusdem Congreg. BULLARIUM ROMANUM non habet authoritatem irrefragabilem. REGULÆ CANCELLARIÆ sunt certæ ordinationes Pontificiæ, potissimum circa causas beneficiales, quæ morte S. P. expirant, nec sede vacante obligant, donec à novo Pontifice reassumantur. DECISIONES ROTÆ ROMANÆ (quæ est S. Pontificis in causis litigiosis tribunal) Jus faciunt inter partes litigantes; imò super eadem juris quæstione uniformes & sæpiùs repetitæ in curiâ Romanâ faciunt Jus adinstar styli, non tamen Jus universale. Nec GLOSSA (à quâ nonnunquam receditur) vim legis habet. In rebus merè profanis, quando leges Sacris Canonibus non contradicunt, in utroque foro mixtim allegatur Jus Civile & Canonicum *arg. cap. 1. de N. O. N.* si inter Jus Canonicum & Civile sit contrarietas de re profanâ ad conscientiam vel peccatum non pertinente, quodlibet jus in suo foro est servandum *arg. cap. novit. 13. de Jud.* si sit contrarietas jurium in materiâ conscientiæ & peccati, standum est Juri Canonico, ad quod universim recurrendum est in Materiâ Spirituali & Sacramentorum neglectâ dispositione Juris Civilis.

LIBER PRIMUS.

SECTIO PRIMA.

Obligatio Juris Scripti & non Scripti.

§. I.

Fides Catholica & Jus Scriptum.

CUM elevatâ ad statum supernaturalem humanâ naturâ vera fides omnis humani juris debeat esse fundamentum, quo deficiente nihil superædificari potest *c. cum Paulus 26. c. 1. q. 1.* atque Leges Ecclesiasticæ non solùm ex lege naturali, verùm etiam divinâ & præceptis fidei, auctoritatibus veteris & novi testamenti procedant *cap. 24. de Accusat.* hinc potiori jure Pontifex Jus Canonicum, quàm Justinianus Codicem suum auspicatur à titulo *de Summâ Trinitate*, quæ est fons & origo omnis sapientiæ & justitiæ, & *Fide Catholicâ*: tria in Ecclesiâ numerantur symbola fidei sc. APOSTOLORUM, NICÆNUM & S. ATHANASII, quibus rectè additur quartum relatum in *cap. firmiter 1. de Sum. Trin. & Fid. Cath.* aliqui tum in *cap. damnamus 2. eod.* tum in *cap. un. eod. in 6.* tum in *Clem. un. eod.* damnantur errores, quorum non ubique Authores censurantur; unde regula: damnatâ doctrinâ non damnatur illius author, præsertim si ille eam submisit judicio Sedis Apostolicæ; econtrâ damnato authore omnis ejus doctrina damnatur *cap. Fraternalitatis 4. de Hæret.* præter Jus naturale & divinum positivum, quod in novâ lege non est nisi circa Fidem & Sacramenta, necesse fuit dare aliam legem, per quam genus humanum (ut ait GREG. IX. in *Proam. Decret.*) ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum cuique tribuat, informetur. Lex definitur: recta agendorum ratio, publicâ potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuò obligandi. Capitulum Cathedrale sede plenâ & cujuslibet Ecclesiæ Collegiatæ non potest quidem facere leges, potest

potest tamen cōdere statuta, quæ per modum pacti obligent Capitulares, & versantur circa ea, quæ singularia ipsius Capituli negotia concernunt; modò illa non cedant in aliquorum commodum, & aliquorum gravamen *cap. cum omnes 6. de Constit. nec in diminutionem cultûs divini cap. ex parte 12. eod. nec sint contraria Juri Canonico. Proprius effectus legis est obligatio, non tantum in foro fori, sed etiam in foro poli, respectu subditorum, quales quoad universales Ecclesiæ Leges sunt omnes baptizati; leges inferiorum Prælatorum ligant solos subditos intra territorium existentes cap. ut animarum 2. de Constit. in 6. leges aut statuta Laicorum, quæ Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis præjudicant, nullam vim habent; casus est *cap. qua in Ecclesiis 7. eod. unde & lex Amortisationis (quæ infirmo fundamento defenditur ab aliquibus Legistis) est invalida. Licet autem Legibus civilibus directè nequeant obligari Clerici cap. Ecclesia S. Mariae 10. eod. generaliter tamen latæ continentes materiam Clericis communem indirectè ad illos extenduntur ob publicam utilitatem. Legislator, ejus Superior, & Successor potest legem revocare cum causâ licitè, sine causâ validè: imò & statuta inferiorum necessariò confirmata à superiore ab illis possunt revocari, si merè ipsorum utilitatem respiciant; exemplum est in *cap. cum accessissent 6. eod. tacitè lex revocatur, cum editur alia ipsi directè contraria cap. 1. eod. in 6. dum autem nova lex generalis editur, non tollitur prior specialis, juxta R. J. 34. in 6. ,, generi per speciem derogatur ,, nec tolluntur particulares consuetudines aut statuta locorum, nisi id exprimat *cap. x. cit. in 6. inferior ordinariè nequit dispensare in lege superioris, aliquando tamen in lege Pontificiâ dispensare potest Episcopus: vid. si id ei permittatur in jure expressè, vel tacitè, veluti si jura impersonaliter concedant, posse dispensari; vel per Epikeiam, vel declarando, quòd aliquid fieri possit non obstante lege.****

§. II. Rescripta.

Jus privatum conficiunt Rescripta, quamvis aliqua in consequentiam jus commune faciant, ex qualibus rescriptis Decretales Pontificiæ & Codex Justinianus majori ex parte componuntur. Communiter distinguuntur in duas Classes, ut sc. Alia sint *rescripta gratia*, quæ dantur ad beneficia & similes gratias; & alia *rescripta justitia*, quæ dantur ad lites, & decisionem vel delegationem causarum. Utraque constant tribus partibus: *narratione, supplicatione, & conclusione*, quam practici vocant *dispositivam*. Narrativa duplex est: alia rescribentis, alia supplicantis; hanc facit rescribens ad præcedentem supplicantis insinuationem, quod in dubio præsumitur, & colligitur ex verbis: *ut asseritur*, & hæc à supplicante est probanda, cum rescripta Pontificia semper habeant annexam hanc clausulam: *si preces veritate nitantur cap. ex parte 2. de Rescr. exemplum est in cap. susceptum 6. eod. in 6. & si prædicta clausula in fine apponatur, non tantum probari debent ea, quæ immediatè præcedunt, sed omnia, super quibus intentio rescribentis fundatur cap. olim 25. eod. si tamen in rescripto Papa mandat de duobus inquiri sub disjunctione, ad certum effectum consequendum, sufficit alterum probari cap. inter ceteras 4. eod. narrativa rescribentis alia est, super qua non fundatur ipsius intentio, & hæc nec est probanda, nec facit probationem: exempla sunt *Clem. 4. de Sent. Excom. & cap. 10. de Privil. in 6.* alia est, super quâ fundatur intentio rescribentis; & hæc plenam facit fidem juxta textum *Clem. un. de Probat. si S. Pontifex vel narret factum**

ctum proprium, vel sui antecessoris, vel factum alterius secum gestum, vel mentionem faciat de jure communi; si verò rescribens motu proprio narret factum planè alienum, facit fidem præsumptivè, ita tamen ut admittatur probatio in contrarium, quæ incumbit illi, qui rescriptum impugnat. Excommunicatus nullum rescriptum validè obtinet *cap. dilectus 26. de Rescr.* Super alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo *cap. ipso jure 1. eod. in 6.* in rescriptis justitiæ strictior est faciendæ verborum dubiorum interpretatio; hinc clausulæ debent intelligi, ut quantum fieri potest, juri communi non derogetur *cap. causam 18. eod.* Econtra rescripta gratiæ nemini præjudicantia latè sunt interpretanda, nisi sint ad ad beneficia, quæ cum præsumantur esse obtenta per ambitionem, strictiùs sunt interpretanda *cap. quamvis 4. de Prab. in 6.* ut jus aliquod rescripta tribuant, omni vitio debent carere; tum ex parte supplicæ, ne illa sit sub-vel obrepitria, qualis est v. g. ob non expressam litispendentiam, vel gratiam aliàs factam *cap. ad audientiam 31. de Rescr.* ob non factam mentionem appellationis *cap. ex parte 12. eod.* vel prioris rescripti in posteriori justitiæ *cap. ceterum 3. eod.* aliamve causam de jure vel stylo exprimendam non expressam, aut expressam falsitatem: tum ex parte formæ, sub quâ expedita sunt; sc. ut consuetus stylus servetur in illis; nec substantialem errorem, qualis est v. g. error personæ, vel si alia diœcesis exprimat *cap. significante 34. eod.* nec errorem manifestum latinæ contineant *cap. ad audientiam 11. eod.* executores rescriptorum Apostolicorum, committentium jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi, alii nequeunt esse, quàm qui in dignitate sunt constituti & qui illis æquiparantur, vid. Canonici Ecclesiarum Cathedralium *cap. statutum 11. eod. in 6.* in executione rescripti gratiæ ad tempus *data* attendi debet *cap. eam te 7. eod.* ut præferatur, qui prior est in *data*, etsi posterior suum rescriptum priùs præsentet, modò absint dolus & notabilis negligentia *cap. tibi qui 12. eod. in 6.* unde & tempore *data* habilis debet esse impetrans, cui Apostolicè de beneficio provideri mandatur *cap. 9. eod. in 6.* Econtra ad tempus *præsens* attenditur in rescriptis justitiæ *cap. ut debitus 59. de Appell.* quibus cessante legitimo impedimento intra annum impetrans debet uti in hunc finem, ut non præferatur, quod postea impetratum non habet mentionem prioris *cap. plerumque 23. de Rescr.* Rescriptum speciale derogat generali sive priori, sive posteriori, licet ejus mentionem non faciat *cap. sicut Romana 1. & cap. pastoralis 14. §. quoniam eod.* si utrumque sit speciale, prius derogat posteriori *cap. ceterum cit.* in dubio, quodnam rescriptum alteri prævaleat, quoad iudices datos, modus procedendi datur *cap. pastoralis cit.* rescripta justitiæ, si eorum autoritate citatus fuit adversarius, transeunt in & contra hæredem à sensu contrario *cap. significavit 36. eod.* rescripta personalia gratiæ cessant morte aut renuntiatione ejus, cui *data* sunt; regulariter autem rescriptum continens gratiam perfectam durat post mortem concedentis.

§. III.

Jus non scriptum.

Sic vocatur secundùm differentiam accidentalem à Lege consuetudo, quæ Legislatore tacitè vel legaliter consentiente originem habet à moribus populi, qui si voluntariè saltem à majore parte perfectæ communitatis publicè & sine interruptione sint frequentati, Legem contrariam abrogant *Cap. fin. de consuet.* ubi requiritur, ut consuetudo sit rationabilis & legitimè præscripta. Ad consuetudinem viâ præscriptionis inducendam requi-

rescriptum temporis, ad inducendam con-
suetudinem, quæ nunquam ab-
solvitur, tunc enim p-
rescriptum, vel colorat-
rescriptum possidendi
rescriptum velut in
rescriptum nisi mutatis citetur
rescriptum & repro-
SEC
Ecclesiast

Collegii petiti
vacante Digi-
dispensabili, d-
alterius, o-
quoque al-
Prælatum extra
tamen in
in 6. Cardinales q-
consentire, Ca-
postulare Cap. 1. &
rejectione hinc rejecta, Cap.
ad hoc 1. eod. nec
Mendicantes ad Eccle-
postulatio, ad eam
con electione, requir-
veluti: exig-
admissio postulatio-
consensu (qui
Superiori præse-
nequeunt reced-

creandi P-
Elegendi fac-
quibus, quàm
ut si 2. de ar. & q-
Cap. nullus 1. de elec-

requiritur diurnitas temporis, at quanta: non est satis in Jure determinatum, probabile judicamus ad inducendam consuetudinem etiam contra vel præter Legem Canonicam, saltem eam, quæ nunquam ab initio usu recepta est, sufficere decennium; nisi Lex resistat consuetudini, tunc enim præter tempus longissimum 40. annorum requiritur titulus, vel præsumptus, vel coloratus, vel tempus immemoriale, quod instar tituli est, dummodo sit capacitas possidendi in communitate consuetudinem præscribente: si Lex reprobet consuetudinem velut irrationabilem aut corruptelam, nullo omnino tempore potest præscribi, nisi mutatis circumstantiis fiat rationalis. Variæ à Jure Can. tit. cit. in specie approbantur & reprobantur consuetudines.

SECTIO SECUNDA.

Pralatorum Ecclesiasticorum Promotiones & Renunciatio.

§. I.

Postulatio.

HÆc est concors Collegii petitio Superiori facta, ut personam vel inhabilem, vel aliàs impeditam ad vacantem Dignitatem gratiosè admittat: si persona labore aliquo defectu Canonico dispensabili, dicitur *Postulatio solemnis*; si verò persona aliàs habilis dependeat ab arbitrio alterius, cujus consensum expetit Collegium, ut ad vacantem Ecclesiam Electus suum quoque assensum efficaciter præster, vocatur *Postulatio simplex*. Sic Religiosus ad Prælaturam extra suum Monasterium nequit efficaciter eligi, nisi suus Prælati consentiat, qui tamen irrequisito Conventu licentiam consentiendi dare potest *Cap. 27. de Elect. in 6.* Cardinales quoque electi ad Ecclesias Cathedralis sine licentiâ S. P. nequeunt efficaciter consentire, *Cap. Bona 3. de Postul.* quibus competit Jus eligendi, hi possunt etiam postulare *Cap. 1. & 4. eod.* postulari amplius non possunt, quorum postulatio vitio personæ fuit rejecta, *Cap. gratum 2. eod.* postulari etiam nequeunt violantes interdictum, *Cap. ad hac 1. eod.* nec minores viginti septem annis ad Ecclesias Cathedralis; nec Religiosi Mendicantes ad Ecclesias Cathedralibus inferiores *Extrav. un. eod. inter comm.* si sola sit postulatio, ad eam sufficit pro Postulato major & sanior pars postulantium; si concurrat cum electione, requiruntur duæ tertiæ, *Cap. scriptum 40. de elect.* Formulæ aliquæ postulationis, veluti: *eligo postulando, postulo eligendo &c.* reprobantur *Cap. unde postul. in 6.* admissio postulationis res gratiæ est, *Cap. postulationem 5. eod. tit.* præstito etiam à Postulato consentu (qui non per modum pacti, sed velut conditio, sine quâ non potest postulatio Superiori præsentari, requiritur) postulatio potest revocari à postulantibus, qui tamen nequeunt recedere ab eâ jam præsentatâ, *Cap. bona 4. eod.*

§. II.

Electio.

Modus ordinarius creandi Prælatos Juri innixus est ELECTIO, quæ Jus ad rem tribuit Electo. Eligendi facultas de Jure communi competit tam in Regularibus Clericatum profitentibus, quàm in sæcularibus Collegiis solis Clericis in sacro Ordine constitutis, *Clem. ut ii 2. de at. & qualis. &c.* *Trid. sess. 22. de reform. cap. 4.* qui sunt membra Collegii, *Cap. nullus 1. de elect.* & nullâ censurâ obstricti, exceptâ S. Pontificis electione

Clem. ne Romani 2. §. ceterum eod. Jure speciali : privilegio, consuetudine, præscriptione aliove titulo Jus eligendi potest convenire Clericis extraneis, nullo autem modo Laicis secluso Privilegio Apostolico, *Cap. 43. §. 1. & §. 6. eod.* si Jus eligendi competat ratione beneficii, attenditur bonæ fidei possessio, *Cap. querelam 24. eod.* qui habent Jus eligendi, si legitimo impedimento detineantur, possunt non quidem voto in scriptis transmissio, sed constituto uno vel pluribus in solidum procuratoribus ad electionem concurrere, dato mandato vel generaliter de personâ dignâ, quo casu eundem suo & mandantis nomine Procurator, qui est de Collegio eligentium, eligere debet; vel specialiter de personâ determinatâ, & tunc alium suo, alium mandantis nomine Procurator eligere potest, *Cap. si quis justo 46. eod. in 6.* Pro foro externo validè eligitur omnis, qui ob ætatis maturitatem, morum honestatem, requisitum Ordinem, literarum scientiam est dignus, *Cap. dudum 22. eod. & Cap. cum in cunctis 7. eod.* pro foro interno licitè eligitur duntaxat dignior, *Trid. sess. 24. de reform. cap. 1.* in eligendis ad Prælaturas Regularium præter specialia, quæ exigunt approbatæ cujuslibet Ordinis Constitutiones, de Jure communi requiritur professio, *Cap. 27. 37. 49. de elect. & Cap. nullus 28. eod. in 6.* ejusdem Regulæ *Clem. 1. eod.* Bona & Jura vacantis Prælaturæ salva & integra Successori sunt conservanda, nec ex iis quidquam (exceptis necessariis expensis pro electionis negotio, *Cap. 45. eod.*) usurpare debent Capitulares aliive, *Cap. 13. & 40. eod. in 6.* & declaratur id *Clem. 7. eod.* tempus, intra quod à notitia vacationis celebranda est electio in Cathedralibus & Monasteriis est trimestre, eligere negligentium Jus pro illâ vice devolvitur ad Confirmantem, *Cap. ne pro defectu 41. eod.* in aliis verò Ecclesiis semestre, *Cap. 2. & 5. de concess. Præb.* Forma in electionibus Prælatorum, quorum morte dicuntur Ecclesiæ viduatæ, servanda præscribitur in *Cap. quia propter 42. de elect. ibi,* cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, quâ publicatione factâ variare nequeunt electores *Cap. publicato 58. eod.* nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habitâ eligatur, sc. electione communi, quam faciat vel Præses Capituli, vel aliquis ex Capitularibus suo & omnium nomine, in quem omnes vel major & sanior pars consentit, & hæc dicitur forma Scrutinii, vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ provideant de Pastore, & hæc dicitur forma compromissi, in quo Compromissarius eligibilis accedendo aliorum ipsum eligentium votis auget numerum *cap. cum in jure 39. eod.* aliter electio non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata, vi *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6.* Electio Prælatorum Regularium etiam Abbatum temporalium facienda est per vota secreta. Si electus sit absens, ei intra octo dies cessante legitimo impedimento electio est præsentanda, & ab eodem, si sit sui juris, intra mensem acceptanda, & intra tres menses post consensum præstitum ejus confirmatio à superiore petanda *cap. quam sit 6. cap. cupientes 16. de Elect. in 6.* ante confirmationem (extra casus *cap. nihil 44. eod. & cap. indemnitatibus 43. eod. in 6.*) quovis colore se ingerens administrationi cadit jure suo *cap. avaritia 5. eod. in 6.* confirmatio debet fieri præviâ diligenti inquisitione in personam electi & processum electionis citatis nominatim coelectis & oppositoribus, generaliter omnibus, qui contra electionem opponere volunt *cap. quoniam ult. eod. in 6.*

Episco-

confirmatus debet in
 Trans
 ed de sede in fe
 proprio motu trans
 Epif. Episcopo
 vero Prælatorum
 modo est translatio à
 resignatio, alia est ex
 tunc contra quam
 alia, ut, alia pura,
 resignatur aliqua cau
 sit resignatio
 patione suam
 non revocatur
 in super requirit
 habet in resig
 requirit
 qua p
 etiam confirmari
 facienda est publica
 Reg. Cancell. de
 intra 10. Dies mori
 SE
 Or
 Ord
 est sacra cæremo
 collatorum nec amitt
 substantiale omittit
 Sacramentum fuisse
 Majores Ord
 sabbat
 idem est de
 cap. 5. servat
 cap. 11. 13. & 14.
 minister validè ordi
 confirmatus; atq

Episcopus confirmatus debet intra tres menses consecrari 6. 2. dist. 77. cujus dispositio allegatur cap. cum in cunctis 7. §. 1. eod. tit. & innovatur à Trid. sess. 23. de Reform. cap. 2.

§. III.

Translatio, & Renunciatio.

TRanslatio est de sede in sedem ex causâ justâ auctoritate superioris facta commutatio : proprio motu transiens ab unâ ad aliam Ecclesiam carere debet utrâque cap. quanto 3 de Transl. Epif. Episcoporum translatio à solo potest fieri S. Pontifice cap. 1. & 2. eod. aliorum verò Prælatorum translatio etiam ab Episcopo fieri potest. Regulariter autem faciendâ est translatio à minore ad majorem Ecclesiam cap. 1. cit. Renunciatio, aliâ dicta resignatio, alia est expressa, alia tacita, cujus exemplum refertur cap. ex transmissa 3 de Renunc. contra quam in dubio faciendâ est interpretatio cap. sane 7. cap. veniens 13. cap. lecta 14. eod. alia pura, alia conditionalis. Ut Episcopi aliique Prælati resignare possint, requiritur aliqua causa expressa in jure cap. nisi cum pridem 10. eod. vel saltem similis : ut firma sit resignatio cujuscunque beneficii, debet resignans sponte, & sine quavis privatâ pactione suum consensum declarare cap. super hoc. §. eod. sive per se, sive per procuratorem non revocatum (circa revocationem procuratoris notandus est textus Clem. un. eod.) insuper requiritur auctoritas superioris Ecclesiastici; si sit pura, illius, qui jurisdictionem habet in resignatam cap. admonet 4. eod. si verò sit conditionalis, facta v. g. in favorem tertii, requiritur auctoritas S. P. & vi Constit. GREG. XIII. quæ incipit. *Humano vix judicio*, quam per specialem Constit. incip. *Ecclesiastica ministeria* die 15. Junii 1746. editam confirmavit & auxit BENEDICTUS XIV. qui modò gubernat Ecclesiam, faciendâ est publicatio resignationis & provisionis de beneficiis resignatis. Speciale est ex Reg. Cancell. *de viginti*: quòd, si infirmus (idem est ex praxi de sano) resignet, & intra 20. Dies moriatur, beneficium vacet non per resignationem, sed per mortem.

SECTIO TERTIA.

Ordinatio Clericorum.

§. I.

Ordinatio & ejus Minister.

Ordinatio est sacra cæremonia, quâ confertur Sacramentum ordinis, quod semel validè collatum nec amitti, nisi quoad licitum usum, nec denuò conferri potest, sed si quid substantiale omissum fuerit, illud ita supplendum est, ut non præbeat anfa judicandi, Sacramentum fuisse iteratum cap. 1. & 3. de Sac. non iter.

Majores Ordines tantùm in quatuor temporum, ante Dominicam Passionis & ante Pascha sabbathis licitè conferuntur, cap. 3. de Temp. Ordin. &c. intra propriam Diœcesin (idem est de minoribus ordinibus & primâ tonsurâ) ordinantis Trid. sess. 6. de Reform. cap. 5. servatis interstitiis, nisi in illis Episcopus dispenset Trid. sess. 23. de Reform. cap. 11. 13. & 14. interstitia autem minorum ordinum non sunt in usu. Ordinarius minister validæ ordinationis est solus Episcopus, licet sit hæreticus, schismaticus, aut censuratus; attamen talis non ordinat licitè, nec ordinatis tribuit ordinis executio-

executionem ; uti nec ille, qui Dignitati Episcopali renunciavit, donec cum scienter ordinatis S. P., cum ignoranter ordinatis proprius Episcopus dispense, *cap. 1. & 2. de Ord. ab Episc. qui renunc.* simplices Sacerdotes posse ex privilegio Pontificio minores Ordines conferre, dubium non est ; de Majoribus autem probabilius contrarium asseritur. Super habilitate Ordinandi Episcopus debet præmittere scrutinium juxta præscriptum Trid. *sess. 23. de reform. cap. 5. & 12.* per denunciations in Parochiâ faciendas, & examen, de quo Conc. *ibid. cap. 7.* cui etiam subjiciuntur Regulares, nisi speciali gaudeant privilegio post Conc.

§. II.

Subjectum Ordinationis.

Subjectum validæ Ordinationis est solus Mas baptizatus, qui ut licitè ordinetur, primò debet esse subditus Ordinanti ratione originis, domicilii, vel beneficii, vel ab eo, cui aliquo ex his titulis subditus est, habere literas dimissorias, *Cap. cum nullus 3. de temp. ord. in 6.* addit Conc. Trid. titulum triennalis commensalitatatis, modò Ordinans, quem non sufficit esse tantùm titolarem *Sess. 14. de reform. cap. 2.* ordinato statim re ipsâ beneficium conferat, *Sess. 23. de reform. cap. 9.* 2dò debet habere legitimam ætatem à Trid. *Sess. 23. cit. cap. 12.* determinatam, literarum scientiam, Sacramentum Confirmationis, titulum sufficientem ad congruam sustentationem, sc. Beneficii Ecclesiastici pacificè possessi, pensionis, aut Religiosæ Professionis, aut patrimonii actualiter obtenti : sine aliquo ex his titulis scienter Ordinans ejusque Successor tenetur Ordinato alimenta ministrare, donec eidem de sufficiente Beneficio provideat, *cap. 4. 16. & 23. de Præb.* 3tiò debet esse liber à vinculo conjugali, *cap. fin. de temp. ord. in 6.* à quavis infamiâ sive juris sive facti, *arg. cap. fin. de temp. ord.* à quibuslibet censuris, ab omni irregularitate, sive oriatur ex defectu Natalium, ob quem illegitimi, nec per subsequens Matrimonium, nec per Rescriptum S. Pontificis legitimi ab Ordinibus arcentur ; nisi vel ingrediantur Religionem, vel cum ipsis ad minores ab Episcopo, ad majores Ordines à S. P. dispense, quæ dispensatio strictè est interpretanda, *cap. 1. de fil. Præb. &c. cap. 1. & 2. eod. in 6.* sive oriatur ex defectu libertatis : tum ob conditionem servilem, *cap. 1. & 5. de serv. non ord. un. de obl. ad ratioc. &c.* sive oriatur ex defectu corporali, ob quem aliquis vel absolutè, vel vel decenter, aut sine aliorum horrore & scandalo actum Ordinis non valet exercere, quod dijudicare pertinet ad Ordinarium, licet cum manifestè vitiatu dispensare pertineat ad S. P. *cap. 2. & 7. de corp. vir. &c.* sive inde proveniat, quòd quis propriâ voluntate culpabiliter membro, vel parte membri mutilatus sit, *arg. cap. 1. & cap. 4. eod.* sive demum oriatur ex defectu Sacramenti ob bigamiam, quæ triplex est : *vera, interpretativa,* in quibus dispensat solus S. Pontifex, sed difficulter, *cap. 2. 3. & 7. de big. non ord. & similitudinaria,* in quâ cum Clericis sæcularibus dispensat Episcopus, *cap. sane 4. de Cler. conjug.* cum Regularibus proprius eorum Prælatu.

SEC-

SECTIO QUARTA.

Officium & Potestas Judicis Ecclesiastici.

§. 1.

Potestas Judicis ordinarii.

Post summum Pontificem (qui supremam in Ecclesiâ universali, directam in spiri-
tuala, indirectam etiam in temporalia potestatem habet, cui omnes baptizati, eti-
am supremi ordinis subsunt *extrav. unam sanctam 1. de Major. & Obed.*) in Ecclesiasticâ
Hierarchiâ de consuetudine & juris ratione hodie præminent Cardinales, qui in Eccle-
siis, quarum sunt titulares, & Capellis eorum titulis subjectis habent jurisdictionem
quasi Episcopalem *cap. bis qua 11. eod.* Archi-Episcopi (quibus in signum majoris pote-
statis à Papâ traditur pallium, quo nondum recepto non possunt ea, quæ sunt ordinis
& majoris jurisdictionis, exercere, nec uti nomine Archi-Episcopi *cap. nisi 3. de Auth.
& usu Pall.*) præterquam quod sint Ordinarii suarum diocesium, etiam habent jurisdic-
tionem Ordinariam in Suffraganeos, seu Co-Episcopos non exemptos suæ Provinciæ ;
quorum quaslibet causas olim poterat Archi-Episcopus judicare, & contra eos per cen-
suras Ecclesiasticas procedere, quod tamen non comperebat officiali ipsius quâ tali *cap.
Romana 1. §. officiales de off. ord. in 6.* hodie autem processus in criminalibus gravioribus
Papæ est reservatus, minores verò causæ criminales in Concilio Provinciali tantum,
vel à deputandis ab illo cognosci ac terminari debent *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 5.* in
subditos suffraganeorum nulla Archi-Episcopo competit jurisdictio, nisi Episcopus ne-
gligens sit in officio suo, tunc enim ejus negligentiam supplet, probabilius tantum in
casibus jure expressis *arg. cap. Romana 1. de Suppl. neglig. Præl. in 6. & cap. pastoralis 11. de
Off. Jud. ord.* aut nisi ab Episcopi sententiâ vel gravamine ad ipsum appelletur. Pro causâ
autem appellationis vicarios foraneos vel officiales aliosve in futurum nequit constituere
in diocesis suffraganeorû si tamen appellatio sit interposita, dare potest delegatos, qui
possunt esse subditi suffraganeorû quos tamen ad suscipiendam delegationem cogere non
potest *cap. pastoralis cit. consuetudine etiam induci potest, ut Archiepiscopus in diocesi. suf-
frag. constituere possit officiales super futuris causis appellationum, qui tamen vi illius
cognoscere nequeunt causas, antequam ad Archiepil. appellatum sit cap. Romana 1. de Off.
ord. in 6.* causas autem ad se per appellationem devolutas cognoscere nequit, nisi in suâ,
vel illâ diocesi, de quâ profectæ sunt *cap. ut litigantes 5. eod. in 6.* excommunicatum ab
Episcopo appellantem Archi-Episcopus ordinariè non debet absolvere, sed ad excom-
municatorem remittere, nisi constiterit excommunicationem esse injustam, aut Episco-
pus absolvere nolit *cap. ad reprimendam 2. de Off. Jud. Ord.* Jurisdictionem quoque in sub-
ditos suffrag. obtinet Archi-Ep. in casu visitationis Provinciæ, cujus instituendæ forma
traditur in *cap. 1. de Cens. in 6.* Jure novissimo Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 3.* „ à
„ Metropolitanis. „ non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Dioceses suorum
„ Comprovincialium, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Provinciali „ Episco-
po in Diocesi competunt aliqua, quæ ad legem Diocesanam, aliqua, quæ ad legem
jurisdictionis pertinent, quæ distinctio fundatur in *cap. conquerente 16. & cap. dilectus*

18. de Off. Jud. Ord. ad legem diœcesanam pertinent vocatio ad Synodum *cap. quod super*
 9. de Major. & Obed. exactio annua Synodatici, seu Cathedralici, quarta decimationum
 & mortuorum, & petitio subsidii charitativi *cap. conquerente cit.* ad legem jurisdic-
 tionis pertinet judicialiter cognoscere omnes causas Ecclesiasticas *cap. conquerente cit.*
 inquirere & punire crimina, tum Clericorum, tum Laicorum, spiritualia & mixta
cap. perniciofa 1. de Off. Jud. Ord. ad Episcopum quoque spectat inquirere, num plura be-
 neficia possidentes ea canonicè obtineant *cap. ordinarii 3. eod. in 6.* lex jurisdictionalis
 Episcopi consistit etiam in institutione in beneficiis & destitutione, super quibus Epif-
 copus habet fundatam in jure suam intentionem in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis &c.
 Episcopi negligentiam in conferendis beneficiis supplet Capitulum, sicut & hujus ipse
cap. nulla 2. de Concess. Prab. sede Episcopali vacante Capitulum Ecclesiæ Cathedralis om-
 nem administrationem & jurisdictionem Episcopalem ordinariam, tam in temporalibus,
 quàm in spiritualibus exercere potest *cap. 3. & ult. de Suppl. neglig. pral. in 6. cap.*
cum olim 14. de Major. & Obed. cap. un. eod. in 6. nequit tamen visitare Diœcesin, si Ecclesia
 non diu vacet, vel nisi necessitas urgeat; nec Synodum convocare, nec donare aut alienare
 jura & bona Episcopatus; potest instituere præsentatos à patronis & confirmare electos
cap. cum olim cit. non potest conferre beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi collatio-
 nem pertinent, nec ea, quorum collatio ad Episcopum pertinet jure devolutionis
arg. cap. cum olim cit. jure Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 16. Capitulum Cathedrale
 Officiale sive Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel consti-
 tutum ab Episcopo confirmare tenetur, qui eandem ferè habet jurisdictionem, quam
 Vicarius Generalis Episcopi, cujus jurisdictio (cum sit eadem, quæ est Episcopi, licet
 diverso modo habita) rectè dici potest ordinaria, unde ad Episcopum non datur ab
 ipso appellatio, qui potest omnia ad jurisdictionem Episcopi pertinentia, nisi man-
 datum speciale requirant, uti causæ criminales, *cap. licet 2. de Off. Vic. in 6.* Beneficio-
 rum collatio *cap. cum in generali 3. eod.* Concessio dimissorialium, nisi Episcopus in re-
 motis agat *cap. 3. de Temp. Ord. in 6.* absolutio à casibus Episcopo reservatis *cap. si Episco-
 pus 2. de Pœnis. & Remis. in 6.* ipsemet Vicarius Generalis non potest sibi alium substituere
arg. cap. Clericos 4. de Off. Vic. nisi forte ad breve tempus arg. cap. 1. eod. in 6.

Archi Diaconus, cum sit Vicarius Episcopi (post quem habet supremam dignitatem
cap. ad hac 7. de Off. Archidiacon.) natus, sive à jure datus, habet jurisdictionem ordina-
 riam, subordinatam tamen tribunali Episcopi, quam secundùm limites, tum à jure
 communi, tum à consuetudine, tum à cujuslibet Ecclesiæ statutis positos exercet. Post
 Archi-Diaconum proximus dignitate & gradu est Archi-Presbyter, sive Decanus, qui
 duplex est: unus Urbanus, alius ruralis sive foraneus, qui extra civitatem Cathedra-
 lem præest minorum titulorum Presbyteris *cap. fin de Officio Archi-Presb.* qui, quamvis
 ordinariam ex plurium locorum consuetudine jurisdictionem habeat, non tamen censetur
 esse in dignitate Ecclesiasticâ: Urbanus dicitur, qui in civitate Cathedrali Presbyte-
 ris Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ præest, & ordinariam in clericos sui Colle-
 gii, Episcopo tamen subordinatam, & secundùm consuetudinem exercendam habet ju-
 risdictionem.

Prælatorum Regularium Jurisdictio quoque est ordinaria, vi cujus in subditos Re-
 gula-

...ferre censuras
 ...Diœcesis, etiam in
 ...Prælati Reg
 ...omnem juris
 ...tempus sui,
 ...multis calibu
 ...conferri li
 ...præsentent ad
 ...si Episcopus
 ...officium suum
 ...Secularibus, tum
 ...tamen exercitio
 ...
 ...Prælati Juridic
 ...Præceptum suprem
 ...de Off
 ...jurisdictionem; le
 ...cap. sine 11.
 ...quoniam fin. eod.
 ...electam el
 ...cap. in 12. eod.
 ...Delegatus, dum
 ...revertentem,
 ...sed & plures Ju
 ...sententia
 ...delegatio
 ...Si omnes intere
 ...exponitur in
 ...Ut omnes
 ...locus est præven
 ...in alia, qui ob
 ...sive cumula
 ...sunt aequale
 ...Delegatus
 ...in quoscunq
 ...causam
 ...cap.
 ...Deleg
 ...aurem co
 ...cap. statuta

gulares possunt ferre censuras *cap. 10. de Major. & Obed. &c.* Prælati exempti, qui dicuntur nullius Diocesis, etiam in sæculares proprii territorii obtinent jurisdictionem quasi Episcopalem. Si Prælati Regulares Beneficia ad suam collationem pertinentia conferre negligant intra terminum juris, Episcopus pro illâ vice ea conferet, ex jure devoluto, in Ecclesiis non exemptis suâ, in exemptis autoritate Apostolicâ (in vim cujus Regulares exempti in multis casibus à Conc. Trid. expressis Episcopis subsunt) non aliis tamen, quàm quibus conferri sunt solita *Clem. un. de Suppl. negl. Præl.* idem est: si Prælati Regulares non præsentent ad beneficia, quorum sunt patroni *cap. sicut 2. eod.* Abbates benedicti soliti, si Episcopus tertio debite requisitus eos benedicere renuerit, possunt omnia, quæ ad officium suum pertinent, exercere, ac si essent benedicti *cap. 1. eod.* Abbatissis tum Sæcularibus, tum Regularibus propriè nulla jurisdictio Ecclesiastica competit, habent tamen exercitium aliquod jurisdictionis Ecclesiasticæ *cap. dilecta 12. de Major. & Obed.*

§. II.

Potestas Judicis Delegati & Legati Apostolici.

NON solum Princeps supremus, sed etiam quilibet Judex ordinarius delegare potest *cap. cum Episcopus 7. de Off. Jud. Ord. in 6.* etiam non subditum, modò causa pertineat ad ejus jurisdictionem; sed & Delegatus à Papa (qui potestate est major, quàm sit Judex ordinarius *cap. sane 11. de Off. & Pot. Jud. Deleg.*) subdelegare potest *cap. si pro debilitate 3. cap. quoniam fin. eod.* nisi per literas delegationis subdelegatio prohibeatur, vel constet, specialiter electam esse industriam personæ *cap. cit. exempla habentur cap. fin. cit. §. is autem & cap. is cui 12. eod. in 6.* aut nudum ministerium sit commissum *cap. fin. cit. §. ceterum.* imò Delegatus, dummodo ipse exonerare se ipsum malitiosè non quærat, potest compellere reuidentem, ut suscipiat subdelegationem *cap. Pastoralis 28. eod.* nec unus tantum, sed & plures Judices ad eandem causam simul cognoscendam delegari possunt, & tunc ,, sententia unius non tenet ,, *cap. causam 16. cap. cum causa. 22. eod.* nisi vel aliud à delegante exprimat, v.g. si causa tribus judicibus delegetur, adjectâ clausulâ: *Si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus cognoscant & exequantur;* quæ clausula exponitur in *cap. prudentiam 21. eod.* vel singuli in solidum delegati sint, v.g. sub hâc formâ: *Ut omnes aut duo vel unus eorum mandatum exequantur:* quo casu inter Judices datos locus est præventioni; uno tamen negotium inchoante jurisdictio censetur radicata etiam in aliis, qui obtinent jurisdictionem in habitu *cap. 8. eod. in 6.* dum autem plures in solidum, sive cumulativè delegati discordant, standum est plurium sententiæ, si autem utrimque sint æquales, utraque pendet sententia ex arbitrio delegantis, *cap. fin. de sent. & rejud.* Delegatus Papæ non tantum habet jurisdictionem in partes contendentes, sed etiam in quoscunque ejus potestati resistentes *cap. 1. §. & 11. de Off. & Pot. Jud. Deleg.* & non tantum causam decidere, sed & sententiam potest exequi *cap. 7. & 9. eod.* & quidem intra annum *cap. quarenti 26. eod.* vel executionem ordinario committere, qui tenetur obsequi Delegato, etsi sententiam noverit esse injustam *cap. Pastoralis 28. §. 3. eod.* sine expresso autem consensu partium non potest extra locum determinatum causam cognoscere *cap. statutum 11. §. 3. de Rescr. in 6.* nisi ibidem cognoscere impediatur

cap. *statuimus* 13. de Off. & Pot. Jud. Deleg. in 6. à Subdelegato cum jurisdictione appellari potest, non verò à mero executore, nisi mandati fines excedat, vel meritò sit suspectus, cap. *super questionum* 27. §. *verum* 1. eod. à Subdelegato autem appellatur ad subdelegantem, qui sibi aliquid de jurisdictione reservavit, aliàs ad primum delegantem cap. *cit.* §. *porro* 2. ad quem etiam appellatur in aliquibus casibus, quibus delegatus partem tantùm jurisdictionis alii commisit: exempla sunt cap. *cit.* §. *si verò* 4. cap. 3. 10. & 14. eod. in 6. ut suspectus quoque Judex Delegatus recusari potest, si probabilis affertur suspicionis causa, e. g. si Delegatus sit Dominus Collitigantis cap. *causam* 17. eod. aut si lite etiam contestatâ receperit collitigantem in suam familiarem cap. *insinuante* 25. eod. suspicionis autem causa, si in jure non sit expressa, nec notoria, decidenda est per arbitros, ad quos omnia, quæ ad hunc articulum suspicionis, faciunt, pertinent, nere noscuntur, cap. 39. eod., à quibus, si gravaverint, ad Sedem Apostolicam appellatur cap. 11. eod. in 6. si duo sint delegati cum clausulâ: *quod si ambo interesse non possint, alter eorum in causâ procedat*, causa suspicionis contra unum objecta ab alio expediendi debet cap. *si contra* 4. eod. in 6. licet autem Delegatus sit suspectus, antequam tamen recusatur, potest subdelegare in totum; & tunc ulterius recusari nequit, si Subdelegatus cœpit uti jurisdictione; imò & probatâ causâ suspicionis potest vices suas committere de reculatoris assensu, nisi super eâ pronunciatum fuisset, cap. *Judex* 5. eod. in 6. variis casibus cessat jurisdictio delegati, præcipuè morte delegati sub nomine proprio à sensu contrario cap. *quoniam* 14. eod. etiam unius tantùm exploribus simul delegatis cap. *uno* 42. eod. uti & morte personaliter delegantis re integrâ (qualis non est citatione factâ cap. *gratum* 20. eod.) tum ad faciendam justitiam cap. *gratum* *cit.* & cap. *relatum* 19. eod. tum ad faciendam gratiam; secus est de gratiâ factâ, super quâ deputatus est executor cap. 9. eod. in 6.

Legatus Sedis Apostolicæ, qui ad Provinciam aliquam gubernandam cum judiciariâ potestate mittitur, tum cum Judice Delegato, tum cum Ordinario convenit; quamvis absolutè loquendo provinciæ sibi commissæ adinstar Proconsulum, & Præsidum, quibus olim certæ erant decretæ provinciæ moderandæ, Ordinarius reputetur, propter quod ejus officium morte Papæ mittentis non expirat cap. *legatos* 2. de Off. Leg. in 6. alii autem sunt Legati de Latere; alii Legati Missi, vulgò dicti Nuncii Apostolici, alii Legati Nati: specialis est Legatorum de Latere potestas circa absolutionem ab excommunicatione Canonis cap. *quod translationem* 4. eod. cujus potestatis amplitudo colligitur per sensum contrarium cap. 9. eod., Legati etiam de Latere, non solùm Episcopos, in prædictis, sc. Ecclesiasticis, etiam Beneficialibus, causis, impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito eoque negligente procedant: aliàs eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur, Trid. sess. 24. de Reform. cap. 20.

SECTIO

SEC
 aliqua ju
 Remedia co
 procedatur per postea
 consuetudine seu
 quæ nunquam
 juramento: cas
 quæ est de re d
 temporalibus, qu
 cap. *præterea* 9.
 cap. *statuimus*
 instrument
 cap. *grate* 1. eod. ex
 sententiam te
 in viros
 jurisdictio
 alterius partis
 vel omnes
 placet
 cap. 1. eod. in
 2. Remedia
 habet, si iniquit
 contracti,
 valit
 irritatis. Ob
 datur benefici
 intra quadrienni
 re
 cap. *auditis* 2.
 præter lesionem
 in quorum
 providit; t
 religioſæ cap.
 cap. 2. eod.

Ad
 ad iudicium
 sunt idonei

SECTIO QUINTA.

Aliqua Judiciorum Preliminaria.

§. I.

Pacta & Remedia contra laciones in pactis contingentes.

Lites præpediuntur per pactorum observantiam: de Jure Canonico omnia pacta non tantum in conscientia servanda sunt, sed etiam actionem pariunt; nisi sint de re naturaliter illicita, quæ nunquam obligant, aut civiliter tantum illicita, quorum aliqua ligant accedente juramento: casus est in *cap. quamvis 2. de Pact. in 6.* speciem pacti constituit transactio, quæ est de re dubia lite non finita non gratuita pactio; hæc fieri potest tam super temporalibus, quam spiritualibus, modò in his nihil interveniat temporale *cap. super eo 7. cap. præterea. 9. de Transact.* & in spirituali dato vel retento interveniat autoritas superioris *cap. statuimus 1. eod.* ritè facta parit exceptionem litis finita; nec occasione repertorum instrumentorum, aut aliarum novarum probationum impugnari potest *cap. sicut grave 1. eod.* ex partium conventionem quoque laudo Arbitrorum causæ ceptæ nondum per sententiam terminatæ *cap. 11. de Arbit.* vel incipiendæ dirimi possunt, si partes compromittant in viros idoneos pari, vel impari (quod magis expedit) numero; ut hi vel servato juris ordine, quo casu vocantur propriè Arbitri, vel ex æquo & bono super jure alterius partis pronuntient, & hi dicuntur Arbitratores. Si sit compromissum in plures, vel omnes, vel major pars debet esse præsens *cap. 2. eod. in 6.* & quod pluribus præsentium placet; aut si omnes dissentiant, quod minimum est, executioni mandabitur *cap. 1. eod. in 6.* contra laudum injustum triplex datur remedium: sc. 1. Exceptio Doli; 2. Remedium *l. 2. c. de Resc. Vend.* 3. Reductio ad arbitrium boni viri, quæ locum habet, si iniquitas sit notoria & cum enormissimâ læsione. Qui metu gravi injustè adactus contraxit, potest petere, ut contractus rescindatur, etsi ille (etiam metu interveniente) validus sit *arg. cap. Abbas 2. de His, qua vi &c.* exceptis aliquibus à jure positivo irritatis. Ob solam ætatem minorennibus læsis (quorum jure etiam gaudet Ecclesia) datur beneficium restitutionis in integrum *cap. 1. & 8. de In integ. restit.* modò Ecclesia intra quadriennium à notitiâ læsionis *cap. 1. eod. in 6.* & minor factus major à tempore majorennitatis restitutionem petierit, quæ comperit etiam Ecclesiæ contra aliam Ecclesiam *cap. auditis 3. eod.* sicut minori contra minorem, nisi utraque pars sit læsa. Ex aliâ præter læsionem justâ causâ etiam majoribus conceditur restitutio *cap. ex literis 4. eod.* illis, in quorum præjudicium fit alienatio judicii futuri mutandi causâ, Jus Canonicum providit; tum extendendo rescripta ad lites contra eum, in quem facta est translatio rei litigiosæ *cap. 1. de Alien. Jud. Mut. Cau. Fac.* tum prohibendo emptiones litium *cap. ex parte 2. eod.*

§. II.

Advocatus & Procurator.

Antequam ad judicium proceditur, & judicis sententia postulatur, ante omnia querendi sunt idonei Advocati & Procuratores ad causam instituendam & agendam.

dam. Advocati esse possunt omnes jure non prohibiti : Jure Can. prohibentur Clerici in majoribus constituti, præcipuè Sacerdotes, imò & minoritæ beneficiati ,, nisi priam causam vel Ecclesiæ suæ fuerint profecuti, aut pro miserabilibus forte personis ,, cap. Clerici 1. cap. cum Sacerdotis fin. de Postul. Procurator nomine principalis in judicio intervenit, qui ab universitate generaliter constitutus vocatur Syndicus arg. cap. un. de Synd. ,, licet quis post XVII. annum Procurator ad negotia licitè deputetur, ad judicia ,, tamen, nisi major XXV. annis fuerit, deputari nequibit ,, cap. 5. §. 2. de Procur. in 6. ut admittatur procurator, debet habere sufficiens mandatum cap. 1. eod. cujus fines transgredi non debet: si sit generale, non potest ea, quæ mandatum exigunt speciale cap. 5. eod. in 6. ,, si aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, sent adjectâ clausulâ generali, tunc ad non expressos etiam admittetur ,, cap. 4. eod. in 6. at ,, sub generalitate tali graviora non veniunt vel majora, quàm in ipso Procuratorio sint expressa ,, Clem. 2. eod. si revocatio mandati (quæ debet fieri in litibus ante litem contestatam; non post, nisi cognitâ causâ cap. 2. eod. in 6.) Procuratori & Adversario & Judici sit intimata, nihil agitur cap. 3. 4. & 13. eod. ,, falsi Procuratoris ,, exceptio non solum ante sententiam, verùm etiam postea potest objici ,, cap. in nostra 4. eod.

LIBER SECUNDUS.

SECTIO PRIMA.

Judicium.

§. I.

Persona Judicans.

PROCESSUS Judicarius seu discussio causæ fit inter actorem & reum, ut id (quod justum est) definiatur, coram eo, qui tum respectu personæ, tum respectu causæ competens est judex: coram quo litigantes, qui habent personam standi in judicio (in quo etiam minorenes majores 14. annis nullo adhibito curatore, & filii familias non requisito assensu patris admitti debent in beneficialibus & aliis causis spiritualibus & dependentibus ab eis cap. 3. de Jud. in 6.) possunt comparere per alium; nec tenentur se personaliter sistere, ,, nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicendâ, vel pro juramento calumniæ faciendo, vel aliâ juris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari ,, cap. juris 1. eod. in 6. competens autem Laicorum judex in causis temporalibus est laicus, in causis Spiritualibus Ecclesiasticus cap. decernimus 2. eod. in causis mixti fori uterque. Clericorum verò Judex est Ecclesiasticus, sive civiliter, sive criminaliter conveniantur; excipitur causa feudalis cap. ceterum 5. eod. acta coram iudice incompetente non probant cap. etsi Clerici 4. eod. in causis beneficialibus, decimilibus, matrimonialibus, usurarum, & eas quoquo modo tangentibus potest judex procedere simpliciter & de plano, sine strepitu judicii & figurâ Clem. dispendiosam 2. eod. lapsu temporis de Jure Can. non finitur judicium cap. Venerabilis 20. eod: at per absolutionem ab observatione judicii illius, non alterius finitur instantia cap. examinata 15. eod.

§. II.

Forum competens.

Quatuor sunt modi ordinarii sortiendi forum, sc. 1^o ratiōe domicilii, vel quasi domicilii, per quod subicitur persona simpliciter foro. 2^o ratiōe delicti, ut in loco delicti, quamdiu ibi præsens est, delinquens possit conveniri, *cap. postulasti 14. de for. comp.* egressus autem locum delicti citari efficaciter non potest quoad personam, *Clem. 2. de sent. & re judic.* licet in bona ipsius possit decerni immissio. 3^o ratiōe contractus, de quo idem est, ita ut moram in loco trahentes subiciantur ejusdem Judici, egressi verò tantum quoad bona ibidem sita subsint, *cap. Romana 1. §. contrahentes 3. de for. compet. in 6.* 4^o ratiōe rei sitæ potest quis conveniri actione reali, non personali, in loco, in quo res est sita. Extraordinariè variis modis constituitur forum; v. g. prorogatione, &c. Clerici in Judicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, & Episcopi Diocæsani voluntas accedat) consentire non possunt, *cap. significasti 18. eod.* Judex licet competens recusari potest ob probabilem suspicionis causam, qualis est præter supra de potest. Jud. deleg. expressas similis in alio tribunali pendens lis Judicis, *cap. causam 18. de jud.* estque suspicionis causa dubia per arbitros cognoscenda, *cap. cum speciali 61. de appell.* aut ab Ordinario, si malit, causa principalis alteri, qui parti non sit suspectus, committenda, cujus sententia ipsamet poterit executioni mandare, *cap. si quis 4. de for. compet.*

SECTIO SECUNDA.

Principium Judicii.

§. I.

Libellus & Citatio.

Si actor satis perspectum habet, coram quo Judice cum Adversario litigandum sit, cogitare debet, quâ ratiōe actionem suam inchoare & proponere velit; hinc (nisi consuetudo propositionem oretenus fieri permittat) libellum seu scripturam facere debet, cui petitionem suam inserat, ut Judex & reus de qualitate causæ informetur, *cap. de lib. oblat.* in libello autem res petita specificè exprimi debet, *cap. 2. eod.* & causa petendæ in actione reali proxima, sc. titulus domini vel quasi, in actione personali remota v. g. titulus mutui, venditionis &c. *cap. dilecti 3. eod.* nomen actionis in specie exprimi de Jure Can. non est necessarium, *cap. dilecti 6. de jud.* si Judex aptum esse viderit libellum, rei conventi decernit citationem, quâ præventus (licet domicilium mutet) debet coram Judice priore respondere, *cap. 19. de for. compet.* & ritè factâ inducitur vitium litigiosi ad effectum, ut lite pendente nihil possit innovari, *Clem. 2. ut lite pend. nih. innov.* ita ut non valeat privilegium obreptum sine expressione factâ de litis pendentiâ, *cap. dilectus fin. eod.* neque Rescriptum super usu privilegii litigiosi, *cap. 1. eod.* nec alienatio rei litigiosæ, *cap. 3. & 4. eod.* nec electio vel præsentatio ad beneficium litigiosum uno colligante ex iis, quorum neuter possidet, mortuo *cap. 1. eod. in 6.* vel mortuo aut renunciante possessore *cap. 2. eod. in 6.* si uterque sit mortuus, secundum differentiam datam in *Clem. 1. eod.* confert beneficium vacans vel Ordinarius, vel S. Pontifex, salvis cujuslibet nationis concordatis.

Ci-

Citato ordinariè conceduntur tres dilationes, quæ etiam in aliis Judiciis actibus concedendæ hodie quoad terminos sunt arbitrariæ: si autem prima citatio ex causâ rationabili sit peremptoria, debet tribus simplicibus æquivalere, & non debet esse terminus nimis brevis, nisi necessitas aliud suadeat, *cap. 1. de dilat.* si reus contumaciter non compareat in termino peremptorio, in causâ civili immittitur actor in possessionem bonorum (si quæ reus habet) ex primo decreto; & post annum, licet dolosè ab assequendâ possessione impediatur, vel ab eâ expulsus fuerit, efficitur verus possessor *cap. contingit 9. de dol. & contum.* vel decernitur sequester, condemnaturque reus in expensas, quas propter ipsius contumaciam fecit actor, *cap. ex literis 2. eod.* aut si locum non habeat immissio: ut in causis beneficialibus, etiam lite non contestatâ negotium diligenter examinatum sine debito terminatur, *cap. un. de eo, qui mitt. &c. in 6.* si reus comparens post terminum ostendat justam causam, ob quam non potuit aut debuit comparere, restituitur ipsi possessio, præstitâ cautione standi juri, *cap. cum sicut 2. eod.* actore in termino citationis non comparente reus absolvitur à citatione, nec ulterius est citandus, nisi refusus ab actore expensis & præstitâ cautione de comparendo, *cap. 1. de dol. & contum. in 6.* aut reo instante ejus testibus receptis fertur sententia, *cap. causam 3. eod.* si actor suam petitionem proposuit, reus illum potest reconvenire (etiam probabilius Clericum coram Judice laico in causâ merè temporali) licet Judex sit ad instantiam unius partis delegatus, aut prorogatus: debetque causa conventionis & reconventionis statim ab initio proposita simul terminari, servato eodem in utrâque modo, *cap. 1. & 2. de mut. petit.*

§. II.

Litis contestatio.

POST libelli oblationem factam ab actore, & citationem emanatam à Judice, datis (si opus sit) induciis ad deliberandum, sequitur litis contestatio; quæ est angularis lapis iudicii, ita ut eâ omisâ de rigore juris vitietur processus, *cap. un. de lit. contest.* qui tamen rigor non attenditur in iudiciis summariis, *Clem. sape 2. de V. S.* fit autem affirmatione unius sc. actoris, & contradictione alterius sc. rei; non per exceptionem simplicem contra petitionem actoris, *cap. 2. de lit. contest. in 6.* sed per responsionem rei, non ad positiones; sed ad petitionem actoris, *cap. un. cit. eod.* ante eam non est procedendum ad testium receptionem, minùs ad sententiam diffinitivam: salvis exceptionibus relatis *cap. fin. ut lite non contest. &c.* post litem contestatam solent partes à se invicem exigere juramentum calumniæ, quod expressè nequit, tacitè potest remitti non exigendo, omissum in exordio in qualibet parte litis peti potest, *cap. 1. de juram. calum. in 6.* nec ab eo subeundo Clerici sunt immunes, *cap. ceterum 5. eod.* personaliter tamen id præstare non tenentur, nec debent inconsulto suo Prælate, *cap. 1. eod.* nec solum in temporalibus, sed & in spiritualibus causis jurari debet de calumniâ, *cap. 1. §. 2. eod. in 6.* quo corrigitur decisio *cap. literas 2. eod. in antiq.* si actor jurare recuserit, cadit iure suo; si reus, habetur pro confesso *cap. fin. §. 1. eod. tit.*

SECTIO TERTIA.

Varia in processum judicarium incidentia.

§. I.

Impedimenta processus & prosecutionis causa.

Processum judicarium impediunt feræ : profanis, si utilitatem privatam proximè respiciant, possunt partes renunciare, *cap. fin. de ser.* prosecutio unius causæ sæpe impeditur ob aliam causam præjudicantem, aut talem, à quâ decisio alterius dependet : exemplum est in *cap. intelleximus 1. de ord. cogn.* si quæstio præjudicialis pertineat ad forum Ecclesiasticum, illa priùs à Judice Ecclesiastico terminanda est, antequam à Judice laico in alterâ causâ procedatur : exemplum est in *cap. suam 3. eod.* Objectio spoliî impedit actionem, quâ quis rem ut suam petit; nam generalis regula est : quòd spoliatus ante omnia sit restituendus; siue excipiat *cap. cum dilectus 2. eod.* siue agat, quo casu competit spoliato ratione bonorum immobilium interdictum unde *vi*, sed non nisi contra eum, qui vel per se, aut alium spoliavit, vel spoliationem suo nomine factam ratam habuit, *cap. cum ad sedem 15. de restit. spol.* at etiam contra Judicem sine juris ordine procedentem *cap. 7. eod.* contra hæredes spoliantis datur actio in factum : imò non obstante Juris Civilis rigore, *L. 7. ff. de vi & vi arm.* contra tertium singularem possessorem scienter rem spoliatam tenentem spoliato Jure Can. ex æquitate succurritur, *cap. sape 18. eod.* ut autem spoliatus restituatur, debet probare possessionem & spoliationem, *cap. ex parte 14. cap. olim 17. eod.* quibus probatis spoliator rem cum fructibus perceptis & percipiendis integrè debet restituere, & damna compensare, *cap. gravis 11. eod.* ab hac autem regula: spoliatum ante omnia debere restitui, sunt aliquæ exceptiones *cap. 1. 3. 4. 8. & 13. eod.* si Jus commune resistat spoliato, illum restituendum non esse, nisi priùs ostendat titulum, vel præsumptionem tituli, volunt aliqui ex *cap. ad decimas 2. eod. in 6.* at generaliter hoc non tenemus, sed judicamus *cap. cit.* solùm procedere in circumstantiis casus ibid. propositi, si sc. spoliatus *aliquamdiu*, id est: modico tempore fuerit in possessione; & ita non tantùm contra illius v. g. jus decimandi, sed etiam contra possessionem præsumatur.

§. II.

Causa connexa.

Licet quoad essentiam, modum acquirendi vel amittendi nihil habeat commune possessio cum proprietate; attamen quoad cognitionem causæ possessionis & proprietatis sunt connexæ, hinc idem est Judex possessionis, qui proprietatis, *cap. 1. de caus. possess. & propri.* una alteram non impedit, unde possunt etiam in eadem instantiâ cumulari, *cap. ad ultimum 2. eod.* & tunc in pronuntiatione prævaler possessio, in executione proprietatis, *cap. cum dilectus 6. eod.* imò si cum possessorio cumuletur petitorium, & possessio probetur, non proprietatis, obtinetur in possessorio, *cap. Ecclesia 3. cap. cum super 4. eod.* & agens ab initio petitorio ante conclusionem in causâ, imò si Judici videbitur ex justâ causâ, ante sententiam latam poterit intentare possessorium, *cap. Pastoralis 5. eod.* cum

C

magna

magna sint possessionis commoda, specialiter, quod in dubio melior sit conditio possidentis, laborare debent partes, ut habeant remedium aliquod possessorium; estque tamdiu manutenendus possessor, donec adversarius jus suum plenè probet: hinc regulariter non licet sequestratio possessionum & fructuum, nisi fiat de mutuo partium consensu; ne possessor sine sufficiente causâ privetur possessionis commoda: exceptiones dantur *cap. 2. & 3. de sequest. possess. & fruct.* cessare autem debet sequestratio oblatâ sufficiente cautione ab eo, contra quem est facta, *cap. 1. eod.* qualiter beneficii sequestratio per Ordinarium fieri possit, exponitur *Clem. 11. eod.*

SECTIO QUARTA.

Probationes & illis oppositæ Exceptiones.

§. I.

Confessio & probatio in genere.

DUM Judicium instruitur per merita causæ, antequam ad probationes deveniatur, prius videndum est, annon Adversarius articulum, qui probatione indiget, suâ sponte confiteatur, nam propria confessio est optima probatio, non quidem propriè talis; sed quia actorem ob onere probandi relevat. Duplex est: alia *extrajudicialis*, quæ in causâ civili præsentè adversario & expressâ causâ facta plenè probat contra confitentem, *arg. cap. si cautio 14. de fid. instrum.* idem est de confessione à moribundo in testamento factâ. Alia *judicialis*, quæ spontè & liberè à Majorenni de re certâ, nec naturæ nec juri repugnante, præsentè Adversario aut ejus Procuratore coram competente Judice facta, & non in continenti, aut probato errore ex intervallo ante sententiam latam revocata plenè probat contra confitentem à sensu cont. *cap. ex parte fin. de confes.* „ secundum utriusque Juris „ Statuta de se confessi super aliorum, „ seu sociorum, „ conscientiiis interrogari non debent; & (crimine læsæ majestatis, „ & aliquibus aliis, „ excepto) de reatu proprio „ confitentis periculosa confessio non est adversus quemlibet admittenda, „ *cap. cum monasterium 1. eod.* si reus actoris positiones neget, probatione est opus, & actor eas probare debet; generale enim est: quod affirmans debeat probare, exceptâ negativâ Juris & qualitatibus, quæ secundum Juris communis præsumptionem subjecto inest, quam negans debet probare. In Judiciis duplicibus utrique parti incumbit probatio: ut de judicio finium regundorum exemplum est in *cap. ex literis 3. de prob.* idem est de judicio possessorio, in quo duo contendunt se possidere, *cap. licet causam 9 eod.* ad probandum non tenetur reus actori instrumenta non communia edere, *cap. ex epistola 1. eod.* probationes & alia acta judicii, ut fidem habeant, per Notarium, vel duos viros idoneos in scriptum debent redigi, *cap. quoniam 11. eod.*

§. II.

Probatio in specie.

PRÆcipua probationis species est, quæ fit per testes, qui debent esse idonei, omnî exceptione majores; quales sunt, qui neque ex jure naturali, neque positivo à testimonio arcentur, ut ob delictum, nimiam conjunctionem, inimicitiam, conditionem

sexûs

sexus vel status &c. licet aliàs nemo sit idoneus testis in propriâ causâ, imò nec in aliâ simili, *cap. personas 20. de test. & attest.* attamen Prælatus & Clerici possunt esse testes in causâ Ecclesiæ suæ, in quâ responsales non sunt instituti, *cap. insuper 6. cap. cum nuncius 12. eod.* & falsitas instrumenti probatur per testes etiam de communitate, *cap. tertio 5. de prob.* „ licet quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla est tamen „ causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo terminetur „, *cap. licet 23. de test. & attest.* ut testes probent in iudicio, debent prius edere iuramentum de dicendâ veritate, *cap. 17. 29. & 51. eod.* nisi illud à parte remittatur adversâ, *cap. tuis 39. eod.* testes pecuniâ aut passione corrupti sunt repellendi, *cap. 1. 5. & 9. eod.* nec probant testes de auditu alieno, etsi fama publicata concurrat, *cap. tam literis 33. eod.* nisi accedentibus aliis adminiculis quoad facta occulta, *cap. præterea 27. eod.* testes singulares non contrarii non plene probant, *cap. tam literis cit.* nisi quandoque: si deponant de diversis se mutuo adjuvantibus. Testes contrarii, si aptè fieri possit, sunt concordandi, *cap. cum tu 16. eod.* si concordari non possunt, ab unâ parte producti nihil probant; si ab utraque parte sint producti, præferendi sunt magis idonei, & cæteris paribus plures numero, *cap. in nostra 32. cap. cum in tua 44. eod.* testes secretè & sigillatim sunt examinandi, *cap. venerabili 52. eod.* factâ publicatione attestatum (quæ ad iusticiam processûs pertinet, & probat inter easdem partes etiam in alio iudicio, *cap. causam 11. eod.*) nec iidem, nec alii testes super iisdem articulis recipi debent, nisi à principio illos interrogari super certis capitulis postulasset producens, idque malitiosè vel negligenter fuisset prætermissum, *cap. per tuas 48. & Clem. 2. eod.* aliæ limitationes & exceptiones dantur, *cap. 17. 19. 25. 26. 35. 38. & 42. eod.* deinde adversarius contra depositiones & examen testium excipere poterit; at „ si „ post depositiones testium publicatas objicere voluerit in personas eorum, ei tunc tan- „ dem id liceat, cum iuramento firmaverit, quòd ad hoc ex malitiâ non procedat: nisi „ forsan ante publicationem id fuerit protestatus: vel ostendere poterit, quòd post pu- „ blicationem didicerit, quòd objicit in personas „, *cap. presentium 31. eod.* per contra- rios testes testes producti reprobari possunt secundùm limites à Jure præscriptos, *cap. licet dilectus 49. eod.* ne lateat veritas, personæ non privilegiatæ cogi possunt de Jure Can. tan- tum in causâ civili ad ferendum testimonium, *cap. 1. & 6. de test. cog.* non obstante iura- mento de non dando testimonio, *cap. pervenit 4. eod.* non verò in causâ criminali, nisi de veritate aliter constare non possit, *cap. pervenit 5. eod.* aut timore, odio vel gratiâ retrahantur à ferendo testimonio, *cap. 3. & 9. eod.* non minorem, quàm depositiones testium vim probandi in iudicio habent instrumenta publica, qualia sunt à Notario publico cum debitis solemnitatibus confecta, sigillo publico signata, ex Archivio publico deprompta, si in nullo reperiantur vitiosa à sensu contrario, *cap. si scripturam 1. & cap. scripta 2. de fid. instrum.* scripturæ privatæ (nisi sint à tribus testibus viventibus subscriptæ) non pro- bant, nisi contra scribentem expressâ causâ fatentem debitum (excipitur causa mutui & dotis solutæ) nisi contrarium probaverit, *cap. si cautio 14. eod.* instrumentum quidem Judici totum est exhibendum, & parte adversâ præsentè legendum; sed si plura capi- tula habeat, parti tantùm in copiâ communicatur clausula concernens, *cap. contingit 5. eod.* per testes sive inscriptos, sive extraneos contrarium directè vel indirectè deponentes expugnatur instrumentum, *c. cum Joannes 10. eod.* contraria ab eodem producta fidem non faciunt, *cap. imputari 13. eod.* si à diversis producantur, dignius prævalet minùs digno.

Loco probationum in iudicio quandoque solent afferri præsumptiones, quarum alix sunt hominis, alix juris: illæ, si sunt violentæ facientes moralem certitudinem, sufficiunt, ad ferendam sententiam *cap. literis 12. de Præsumpt. hæ relevant ab onere probandi cap. dudum 16. eod. reddunt efficaciorē probationem, cui assistunt cap. literas 14. eod. minus efficacem probationem, contra quam sunt cap. quia 10. eod. & si sit præsumptio juris & de jure, non admittit probationem in contrarium; & non nisi per confessionem ejus, pro quo stat, aut per evidentiam facti, aut indirectè per eversionem fundamenti eliditur. In defectum aliarum probationum sæpe in iudiciis adhibetur juramentum, quo creditur confessioni proprio confitente ob invocationem divini testimonii: extrajudiciali firmantur aliqui contractus propriè; aliqui impropiè: illudque recipit omnes extensiones & limitationes contractuum, secundum quorum naturam est interpretandum *cap. 3. 25. & 29. §. 1. de Jurejur. de iis, quæ ad jus pertinent, editum interpretandum est secundum juris dispositionem cap. ad nostram 21. eod. judiciali finiuntur lites, vel ex privatâ voluntate mutuâ partium; vel auctoritate judicis parte alterâ deferente, & hoc præstandum, vel referendum est, exceptâ actione famosâ, in quâ non licet reo referre *cap. Juramentum fin. eod. vel juris necessitate, sc. ob præceptum judicis imponentis actori supplementarium, vel reo purgatorium juramentum, inspectis personarum & causæ circumstan-***

§. III.

Exceptiones.

REUS adversus actorem se defendit, eusque probationes eludit exceptionibus: quarum alix sunt perpetuæ & peremptoriæ, quæ semper locum habent, qualis est *v. g. rei judicata* (quæ in causis mixti fori prodest in utroque *cap. cum quidem 2. de Except. in 6.*) &c. alix temporales & dilatoriæ, quæ differunt ad tempus intentionem actoris, inter quas est exceptio excommunicationis, quæ in qualibet parte iudicii, etiam lapsa termino à iudice præfixo, opponi potest *cap. exceptionem 12. & Clem. un. eod. at non ultra duas vices in eadem instantiâ opponi potest, & probari debet intra terminum à jure statutum cap. pia 1. eod. in 6. aliàs dilatoriæ, quæ non respiciunt ipsam causam, ante litis contestationem regulariter intra terminum à iudice præfigendum proponi debent cap. Pastoralis 4. eod. exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri, R. J. 63. in 6. exemplum est in *cap. cum venerabilis 6. de except.* inter exceptiones peremptorias (quæ ante sententiam definitivam opponi debent, nisi executionem sententiæ impediunt veluti exceptio falsitatis *cap. cum venerabilis cit.*) eminet præscriptio, per quam possessione bonâ fide continuatâ tempore à legibus definito, etiam pro foro interno, rei nec per naturam, nec per leges præscribi prohibita acquiritur Dominium, licet eadem prius ad alium Dominum pertinuerit. Juri ad annuas præstationes etiam quoad futuros annos posse præscribi, videtur nobis probabilius *arg. cap. 4. 6. & 13. de Præscript. hostilitatis tempore non currit præscriptio cap. ex transmissa 10. eod. privilegio præscriptioni contratio vel renuntiatur præscriptioni completæ, vel in completa interruptitur, sc. civiliter ob malam fidem cap. veniens 19. eod. mala fides antecessoris nocet successori universali ab illo jus habenti, non singulari: item mala fides Prælati vel Capituli nocet Ecclesiæ, ne præscribat; non item negligentia Prælati rem**

rem Ecclesie non repetentis obest, quo minus successor eandem ab injusto detentore possit repetere *cap. nihil 2. eod.*

SECTIO QUINTA.

Finis Judicii.

§. I.

Sententia & Appellatio ab illâ.

Postquam partes causam sufficienter instruxerunt, faciunt conclusionem, ad quam nulla requiritur juris solemnitas: quâ factâ sequitur sententia, quam secundum leges & Canones Judex etiam Supremus debet ferre, nisi forte cum aliquid (causâ, necessitatis & utilitatis inspectâ) dispensativè duxerit statuendum, *cap. in causis 19. de Sent. & re jud. contra jus constitutionis lata est invalida cap. sententia 1. eod.* si verò sit lata contra jus partis, est quidem injusta, sed non invalida, nisi manifestam contineat injuriam *cap. cum causa 8. cap. inter ceteras 9. cap. cum inter 13. eod.* debet esse conformis libello *cap. Abbate 3. eod. in 6.* nisi specialis ratio aliud exigat. Injustâ sententiâ gravatis competit remedium appellationis, quâ tum jurisdictio judicis inferioris suspenditur, tum causæ cognitio ad superiorem devolvitur. Negatur appellatio in notoriis *cap. consuluit 14. de Appell. & illis, qui ob veram contumaciam condemnati sunt; aut appellationi aliorum in eadem causâ non detulerunt cap. constitutis 23. cap. an sit 42. eod.* appellans ab interlocutoriâ: vim definitivæ habente, aut continente gravamen irreparabile Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 20.* debet in scriptis causam exprimere *cap. ut debitus 59. de Appell. & cap. cordis 1. eod. in 6.* bis super eodem articulo appellari potest ab eodem *cap. directe 39. eod.* at in eadem causâ ratione ejusdem gravaminis non licet tertio appellare *cap. sua nobis 65. eod.* intra decem dies à scientia gravaminis est appellandum *cap. concertationis 8. eod. in 6.* & petitis intra triginta dies Apostolis (quos *instante, instantius, instantissimè* petitos judex à quo dare debet *cap. ut super 4. cap. ab eo 6. eod. in 6.*) appellatio tempore à judice à quo præfixo est introducenda *cap. personas 4. eod.* aliàs habetur pro desertâ *cap. ad aures 33. eod.* & prosequenda intra annum, vel biennium ex necessariâ & evidenti causâ concessum, nisi hoc tempus judex à quo fuerit moderatus *cap. cum sit. 5. eod.* in quo servanda est praxis tribunalium. Judex ad quem causam appellationis incognitam non debet ad judicem à quo remittere, nisi partes consentiant *cap. accepta 35. eod.* inventâ rationabili causâ appellandi debet negotium expedire; inventâ non rationabili ad judicem à quo remittere *cap. Romana 3. eod. in 6.* cujus formam juxta Trid. *sess. 22. de Reform. cap. 7.* Legati & alii in appellationibus ad eos interpositis servare tenentur. Pendente appellatione nihil est innovandum, sed omnia attentata sunt in pristinum statum reponenda: servatâ differentia appellationis à sententiâ definitivâ & interlocutoriâ *cap. bona 51. de Appell. & cap. non solum 7. eod. in 6.*

§. II.

Confirmatio & Executio Sententia.

SI sententia iusta sit, superior eam debet confirmare *cap. ea qua 4. cap. causam 14. de Sent. & rejud. estque vis confirmationis in formâ communi datæ, tum in sententiis; tum in aliis, quod præhabitu jus roborat, non autem novum tribuat arg. cap. cum dilectâ 4. de Confirm. ut vel inut. cap. examinata 7. eod. si verò detur in formâ speciali, novum jus & valorem tribuit arg. cap. venerabilis 8. eod. sententia confirmata, vel ea, quæ ob neglectam intra tempus legitimum appellationem transit in rem iudicatam *cap. quod ad 15. de Sent. & rejud. et si sit contra jus aut privilegium parti competens cap. cum inter 13. cap. inter 20. eod. facit jus inter partes: & (licet aliis regulariter non præjudicet cap. quamvis 25. eod. ita ut tertius interveniens executionem possit impedire cap. cum super 17. eod.) in causis criminalibus & rei persecutoriis statim, in personalibus post quadrimestre, nisi iudex hunc terminum arctaverit, vel prorogaverit *cap. quod ad cit. est mandanda executioni, vel à iudice; vel ab ejus Delegato, qui, si sit merus executor, nullas; si verò sit mixtus, solas ad retardandam vel impediendam executionem tendentes exceptiones admittere potest; ad effectum, ut negotium ad superiorem, qui iudicavit, transmittat cap. de cetero 5. eod. prætextu nullitatis non suspenditur executio, si jam tres conformes sententiæ sint latae Clem. ut calumniis 1. eod.***

LIBER TERTIUS.

SECTIO PRIMA.

Clericorum Mores, Obligationes & Officia.

§. I.

Mores.

Sicut Clerici conditione & officio à Laicis discreti sunt, ita & se ab eisdem vitâ morumque honestate discernere debent; ad quam inducendam specialia quædam quoad vitam communem aliaque tum intra tum extra Ecclesiam observanda disposita sunt per varios textus sub tit. *de Vit. & Honest. Cler.* gestatio armorum, avaritia, frequentatio tabernarum, crapula & ebrietas, ludii, mimicæ scenæ &c. specialiter Clericos dedecent text. & DD. *de Vitâ &c.* decenciam vitæ in clericis indicare debet exterius habitus & tonsura *cap. Clerici 15. & Clem. quoniam 2. de Vit. & Honest. Cler.* in minoribus constituti non beneficiati habitum & tonsuram deserentes non gaudent privilegio fori *Trid. sess. 23. de Reform. cap. 6.* Clerici præsertim in sacris constituti ab omni incontinentiâ debent esse remoti *cap. ut Clericorum 13. tit. cit.* modum contra concubinos aut suspectam cum mulieribus conversationem non dimittentes procedendi præscribit *Trid. sess. 25. de Reform. cap. 14.* conjugatus equidem de consensu uxoris, vel in sæculo continentiam voventis; vel religionem ingredientis, potest ad sacros ordines promoveri *cap.*

cap. conjugatus 5. de convers. conjug. & matrimonio nondum consummato sine consensu uxoris religionem ingredi, *cap. verum 2. eod.* at post susceptos Ordines majores in Ecclesiâ latinâ tenetur abstinere ab usu conjugii. Minoristæ validè contrahunt matrimonium, sed validè contracto nequeunt retinere beneficia ecclesiastica priùs obtenta, *cap. 1. 3. & 5. de Cler. conjug.* si tamen cum unicâ Virgine contraxerint, habitumque & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ deserviant, gaudent privilegio Canonis & fori, saltem quoad crimina, *cap. un. eod. in 6.* Trid. *sess. 23. de Reform. cap. 6.* Ut Clerici conformiter suo nomini in sortem Domini electos se demonstrent, ab omnibus sæculi negotiis oportet eos esse alienos, *cap. 15. & 16. de vitâ &c.* hinc in Sacris constituti non debent esse in causis sæcularibus Notarii, *cap. sicut tene Cler. vel Mon. &c.* aliqui Clerici sc. habentes Dignitates, Personatus, & Presbyteri (seclusis Universitatum privilegiis) in scholis non debent vacare Medicinæ aut Juri civili, *cap. super specula 10. eod.* Negotiatio causa lucri Clericis interdicitur, *cap. secundum 6. eod.* Judicium sanguinis *cap. Clericis 5. eod.* & quælibet actio, quâ ad illud concurritur; præfectura militaris; ars chirurgiæ cum adustione vel incisione, *cap. sententiâ 9. eod.* ministerium laicorum in procurandis rebus *cap. Sacerdotibus 2. cap. sed nec 4. eod.* Judicium tamen sanguinis Clerici v. g. Episcopi habentes jurisdictionem temporalem sine metu irregularitatis possunt aliis non Clericis committere, *cap. fin. eod. in 6.*

§. II.

Obligationes & Officia.

Ordini sacro annexa est obligatio ad recitandas studiosè & devotè Horas Canonicas, *cap. dolentes 9. de celebr. Miss. Clem. gravi 1. eod.* Beneficiati omittentes post sex menses pro rata amittunt fructus, secundum Constit. LEONIS X. quæ incipit: *Superna*, editam in Conc. Lateran. V. quam declarat S. PIUS V. in Const. quæ incipit: *Ex proximo.* Sacerdotes præterea obligantur ad offerendum aliquando reverenter debito loco, tempore & modo Sacrificium; ad quod ritè peragendum ordinantur benedictiones & consecrationes Ecclesiarum & Altarium, extra quæ illud offerri non debet; neque in illis, si execrata, vel polluta fuerint, nisi consecrentur, aut reconcilientur, *cap. 1. & seqq. de consecr. Eccl. vel Alt.* ut officio suo Clerici beneficiati satisfaciant, debent in loco beneficii residere, moderno jure Curati & Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, Trid. *sess. 6. cap. 1. sess. 23. cap. 1. sess. 24. cap. 12. de reform.* studiorum causâ beneficiati non curati abesse possunt, *arg. cap. tue 12. de Cler. non resid.* imò non tantùm Canonicorum, sed & Curatorum residentia aliquam ex rationabili causâ absentiam compatitur Trid. *duob. loc. ult. cit.* generaliter à residentiâ excusant Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, quæ causæ in dubio à Superioribus sunt approbandæ, *cap. 7. 13. 14. & 15. de Cler. non resid.* Trid. *sess. 23. de Reform. cap. 2.* non residentes præter alias pœnas beneficiis privandi sunt juxta modum & ordinem præscriptum à Trid. *locis cit.* ut Canonici alique præbendati Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum percipiant distributiones quotidianas, debent interesse divinis officiis; nec valet consuetudo opposita, *cap. un. de Cler. non resid. in 6.* Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 12.* absentium (etiam ex causâ legitimâ non expressâ *cap. un. cit.*) distributiones regulariter vel accrescunt præsentibus; vel Ecclesiæ aut loco pio sunt applican-

plicandæ, Trid. *sess. 21. cap. 3. sess. 22 cap. 3. de Reform.* ob infirmitatem vel aliâ ex causâ non potenti implere officium dandus est Coadjutor, de necessariis tamen eidem ex beneficio est providendum, *cap. 3. 4. 5. & fin. de Cler. agror.* Coadjutorem temporalem inferioribus dat Episcopus *text. cit. & Trid. sess. 21. de Reform. cap. 6.* Coadjutoriam perpetuam concedit S. Pontifex potestate ordinariâ tantum in Cathedralibus Ecclesiis & Monasteriis, Trid. *sess. 25. de Reform. cap. 7.* Coadjutoris est ea præstare, quæ Coadjutus per se non vult, vel non potest implere, excipitur alienatio bonorum Ecclesiæ, *cap. un. de Cler. agror. in 6. §. præsent.* Quæ ad Prælatorum officium pertinent, facienda sunt aliquando cum consilio; aliquando cum consensu majoris partis Capituli, Text. & DD. in tit. *de his, quæ fiunt à Præl. sine consen. Cap.* in iis verò, quæ ad inferiores Clericos unum corpus vel Collegium constituentes spectant, suum consequitur effectum, in quod major & sanior pars consensit, *cap. cum in cunctis 1. de his quæ fi. à maj. par. Cap.* Ecclesiâ vel Sede vacante officium Prælati transit quidem ad Capitulum, at nihil debet innovari, *cap. novit 1. ne sede vac. al. innov.* nec quidquam fieri aut statui in præjudicium successoris: unde non potest Capitulum conferre beneficia ad liberam Episcopi collationem pertinentia, *cap. illa 2. eod.* nisi communiter simul ad Capitulum pertineant, *cap. un. eod. in 6. lis mota contra Ecclesiâ debet differri, cap. constitutis 3. eod.*

SECTIO SECUNDA.

Clericorum Beneficia & alia Jura.

§. I.

Beneficia.

CUM Clerici spiritualia præstent officia, æquum sanè est & necessarium, ut ex bonis Ecclesiasticis necessaria ad vitæ sustentationem percipiant, hinc ipsis assignata sunt beneficia, quæ sunt jura spiritualia perpetua, autoritate Ecclesiasticâ instituta percipiendi redditus temporales propter officium spirituale; alia sunt curata, alia simplicia; alia patronata, alia collativa &c. Nullum juxta R. J. 1. in 6. potest obtineri sine institutione Canonica, quæ confert titulum beneficii & requirit distinctionem inter instituentem & institutum, *cap. cum ad nostram 7. de instit.* Beneficia nondum vacantia nequidem sub conditione: si vacaverint, validè promitti possunt, *cap. nulla 2. cap. relatum 3. de concess. præb. & Eccl. non vac.* vacantia collativa ab inferioribus Collatoribus conferenda sunt infra sex menses à die notitiæ vacationis & cessantis impedimenti, *cap. nullacit. cap. quia diversitatem 5. eod.* purè & sine diminutione, divisione, dismembratione reddituum omnisque oneris beneficio non annexi impositione, *cap. un. ut Eccl. benef. sine dim. confer.* Episcopus tantum ex justâ & necessariâ causâ (cujus exemplum datur *cap. nisi 21. de præb.*) beneficiis potest imponere pensiones; probabilius etiam, quæ transeant ad successores à sensu contrario, *cap. de cætero 5. de transact.* amplior in conferendis beneficiis est potestas S. Pontificis, qui non tantum ex jure devoluto aut ordinario (quo cum omnibus Ordinariis con-

per beneficia con
 Conceditur cum nati
 V. Pontific
 in sacro Concilio
 uniusplura aliâ in
 uniformia
 Trid. *sess. 25. de Reform. cap. 7.*
 quò minus ex
 de Præb. licet
 intelligitur
 conferen
 collationem v
 cum alim 38. eod.
 beneficiorum ins
 posterior tamen
 præbenda
 quæ 15. eod. i
 Germanici ben
 Imperatorem; pol
 non autem po
 Paronaria non
 autem facien
 19. de Jure-P
 fundatione,
 de Reform.
 locutione
 debet in
 de Jure-Pat. cap. si
 quæ autem 5. cap.
 qui vacare non p
 in 6. servatâ i
 autem sine Lai
 Ecclesiæ, institut
 31. cit. eod.
 imponere,
 referata cap. p
 Ali
 Ecclesiæ Præ
 pensionis cap. om

currit) potest beneficia totius Christianitatis conferre; sed & extraordinariè sibi collationem reservat irritando aliorum collationes, quâ tamen potestate non utitur, nisi juxta Concordata cum nationibus inita, & speciatim cum Natione Germanicâ inter NICOLAUM V. Pontificem & FRIDERICUM III. Imperatorem, semper duratura, nisi in futuro Concilio de consensu Nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum. Potest etiam uni plura aliâs incompatibilia conferre: ut plures dignitates, plura beneficia curata, vel uniformia sub eodem tecto; quod aliis collatoribus non licet *cap. de Multa 28. de Prab. Trid. sess. 7. cap. 4. sess. 24. cap. 17. de Reform.* in rescriptis Apostolicis ad beneficia, quo minùs executioni mandentur, obstat taciturnitas beneficii obrenti *cap. cum teneamur 6. de Prab* licet modici; nisi constet provisionem factam motu proprio Pape, qui tunc intelligitur, si in literis exprimat *cap. si motu 23. eod. in 6. rescripta tribuentia facultatem conferendi beneficia explicanda sunt juxta textum cap. is cui 19. eod. in 6. continentia collationem vel mandatum conferendi explicari debent strictè: exemp'a referuntur cap. cum olim 38. eod. cap. 16. 25. 27. & 41. eod. in 6. Clem. 1. 2. & 5. eod. in impetratione beneficiorum inspicitur Data, non presentatio vel receptio *cap. super eo 7. eod. in 6.* posterior tamen, qui impetravit Dignitatem & præbendam, præfertur priori, qui solum præbendam impetravit, si præbenda Dignitati est annexa, ob amplius Jus *cap. quia sape 15. eod. in 6.* vigore precum primarum Imperatoris intra fines Imperii Romano-Germanici beneficia non excepta personæ ab Imperatore nominatæ debent obtinere: Imperatorem, postquam unum nominavit, posse variare & resilire, nominando alium; non autem posse immutare qualitatem beneficii, judicamus probabilius.*

In Beneficiis Patronatis non est instituendus, nisi qui legitimè à Patrono præsentatur. Præsentatio autem facienda est ab eo, qui est in quasi possessione Juris-Patronatûs *cap. consultationibus 19. de Jure-Patr.* cujus omnes fideles sunt capaces; originaliter autem illud acquiritur fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ *Trid. sess. 14. de Reform. cap. 12. sess. 25. de Reform. cap. 9.* semel constitutum variis modis acquiri potest sc. præscriptione, successione, donatione, permutatione legitimè factâ. Laicus ad Ecclesiam vacantem debet intra quatuor menses personam idoneam præsentare *cap. cum propter 27 de Jure-Patr. cap. si Laicus un. eod. in 6. §. 1.* uni tamen præsentato alium addere potest *cap. quod autem 5. cap. cum autem 24. cap. Pastoralis 29. eod.* Ecclesiasticus autem Patronus (qui variare non potest text. cit.) intra semestre debet præsentare *cap. eam se eod. cap. un. eod. in 6.* servatâ in Ecclesiis parochialibus formâ *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 18.* Patroni autem sive Laici, sive Ecclesiastici non debent se ingerere administrationi bonorum Ecclesiæ, institutioni & destitutioni Clericorum *cap. Præterea 4. cap. relatum 21. cap. transmissa 31. tit. cit. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 9.* nec Ecclesiis Patronatis onus aliquod imponere, aut ab iis pensionem exigere possunt, nisi à limine fundationis fuerit reservata *cap. præterea 23. eod. tit. cap. gravis 15. de Cens. Exalt. &c.*

§. II.

Alia quedam Clericorum jura.

MAJORIBUS Ecclesiæ Prælati competit aliquando jus ab inferioribus in recognitionem subjectionis *cap. omnis 2. de Cens. Exalt. & Procmr.* exigendi censum; qui debet solvi

D

solvi in eâ monetâ, in quâ est constitutus, vel secundum ejus æstimationem, nisi aliud præscriptione inductum sit *cap. olim 20. cap. cum Canonicis 26. eod.* exactiones Jure Can. approbatæ ab omnibus intra Diœcesin sitis Ecclesiis (nisi ostendant exemptionem) solvendæ sunt Episcopo *cap. cum olim 19. eod.* qui etiam à subditis suis ob manifestam & rationabilem causam subsidium, ut vocant, charitativum; & dum visitat, procuraciones exigere potest *cap. cum Apostolus 6. eod.* ad beneficia parochialia pertinet Jus Sacramenta administrandi vivis omnibus, qui intra parochiæ fines (qui si nondum designati sunt, ab Episcopo juxta *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 13.* designandi sunt, legitimè autem designati præscribi nequeunt *cap. super eo 4. de Paroch.*) degunt, speciatim baptismi, communionis Paschalis, Viatici & extremæ unctionis: deinde mortuis dignis (nisi alibi sponte & sine inductione elegerint sepulturam *cap. Fraternitatem 3. de Sepult. cap. animarum 1. eod. in 6.* aut sepulchrum majorum habeant *cap. nos instituta 1. eod.*) exhibendi Sepulturam Ecclesiasticam. Si extra Ecclesiam parochialem defuncti sepeliantur, illi salva manet portio Canonica juxta consuetudinem taxanda *cap. 1. 4. 8. 9. & 10. eod. cap. cum quis 2. eod. in 6. Clem. dudum 2. eod.* indebitè sepulcorum corpora cum omnibus emolumentis, quæ occasione sepulturæ obvenerunt, parochus potest repetere *cap. in nostra 10. cit. cap. ex parte 5. cap. cum liberum 6. eod.* ob spirituale ministerium Parochus habet intentionem fundatam in jure ad percipiendas quascunque prædiales, & personales (si in usu sint) decimas ab omnibus agros intra Parochiam possidentibus, vel in eâ degentibus; nisi specialem ostendant exemptionem *cap. ad Apostolica 20. cap. ex transmissa 23. cap. à nobis 24. de Decim.* personales solvendæ sunt deductis expensibus; prædiales integrè sine deductione tributorum & expensarum *cap. 7. 22. 26. 28. & 33. eod.* idem est de primitiis, si sint in usu, & oblationibus, ex necessitate juris faciendis, si piâ consuetudine sint solitæ fieri, *cap. ad Apostolicam 42. de Sim.* à decimarum solutione potest obtineri immunitas privilegio S. Pontificis (quod debet continere derogationem *cap. nuper 34. de Decim.* juxta quod etiam strictè est interpretandum; hinc privilegium concessum aliquibus, ut non solvant decimas ex prædiis, quæ propriis manibus colunt, non extenditur ad prædia conducticia *cap. dilecti 8. eod.*) cessione Decimatoris, consuetudine, præscriptione. Speciali jure tum decimæ, tum oblationes intra Parochiam ad non Parochos pertinere possunt; imò multæ decimæ factæ sunt laicales ob præsumptum privilegium Apostolicum, vel concessionem in feudum ante Conc. Lateran. sub ALEX. III. celebratum. Vi privilegii simpliciter concessi de percipiendis decimis antiquis nequeunt exigi decimæ novalium. Privilegium autem, quod extendit Jus Decimarum ad Decimas novalium, sine aliorum præjudicio & strictè intelligi debet *cap. statuto 2. eod. in 6.*

SECTIO TERTIA.

Clericorum & Ecclesiarum bona & immunitas.

§. I.

Bona.

OMnes tam minores, quàm majores beneficiati habent Dominium reddituum ex titulis beneficiorum provenientium, etiam superfluatorum, quos tamen probabilius

ex

ex iustitiâ tenentur applicare ad usus pios: & quamvis de patrimonialibus & quasi patrimonialibus liberè disponere valeant, acquisita tamen intuitu Ecclesiæ penes eam debent remanere, siue intestati decesserint, siue aliis conferre voluerint *cap. 7. 8. 9. & 12. de Testam.* „ consuetudinis tamen non est improbandæ, ut pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, siue sint consanguinei, siue alii, aliqua juxta „ servitii meritum conferantur „ *cap. 12. cit.* post mortem inventa in bonis clerici beneficiati, qui tempore provisionis nihil possedit, præsumuntur acquisita titulo Ecclesiæ *cap. investigandum 1. de Pecul. Cler.* imò in bonis patrimonialibus, deficientibus cognatis, Clerico intestato decedenti succedit Ecclesia, cui fuit adscriptus *cap. 1. & 3. de Success. ab intest.* si nihil relinquit beneficiatus contractis pro Ecclesiæ utilitate vel necessitate debitis, successor eadem solvere tenetur *cap. ad hoc 1. de solut.* Ecclesiæ competit Dominium bonorum dotalium, sine quibus nulla Ecclesia construi debet; & ex quibus, si sufficient, Ecclesiæ facta tecta conservari & ejusdem destructæ reedificatio fieri debet, cum aliâs omnes ab Ecclesiâ emolumentum habentes ad eandem concurrere (seclusâ particulari consuetudine) teneantur *cap. 1. & 4. de Eccl. adif. Trid. sess. 21. de Reform. cap. 7.* Ecclesiarum quarumcunque bona immobilia & pretiosa mobilia nec quoad proprietatem; nec quoad Dominium utile per concessionem in feudum, Emphyteusin; nec quoad realem obligationem per hypothecam (specialem alienari possunt sine justâ causâ (quæ triplex est: necessitatis, utilitatis & pietatis) & requisitis juris solemnitatibus *cap. nulli 5. de Rebus Eccl. non alien. cap. dudum 1. eod. in 6.* alienatio aliter facta etiam pro foro interno est irrita: excipitur *cap. ex parte 2. de Feu.* triplex casus, quo de bonis Ecclesiæ sine solemnitatibus infeudare licet. Si Ecclesiæ Collegiis cum redditibus incorporatæ sint, in earum permutatione (modò hæc alias legitime fiat) temporali potest compensari excessus redituum *cap. ad questiones 6. de Res. permut.* bona Ecclesiæ indebitè alienata ab alienante, ejus superiore, imò alio quovis clerico repeti possunt & debent *cap. si quis 6. cap. ad audientiam 9. de Reb. Eccl. alien.* item concessionem precariarum vel precariæ (quo nomine significatur concessio bonorum immobilium Ecclesiæ ad usumfructum ad tempus quinquennii *cap. 1. de Precar. vel totius vitæ*) indiscretè factam esse revocandam per successorem, vel ipsam concedentem, deciditur *cap. de Precariis. 2. eod.*

§. II.

Immunitas.

Bonis merè temporalibus Ecclesiarum non tantùm in dotem datis, sed & noviter acquisitis; & Ecclesiasticorum etiam patrimonialibus immunitatem (licet defacto sæpius violatam) competere declaratur *cap. quia nonnulli 1. cap. Clericis 3. de Immun. Eccles. in 6.* vi hujus non tenentur clerici ad onera mixta à laicis imposita, „ nisi Episcopus & „ Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ullâ exactione ad „ relevandas communes necessitates vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates subsidia per Ecclesias existiment conferenda „ *cap. non minus 4. eod.* additur *cap. adversus 7. eod.* „ propter imprudentiam tamen quorundam summus Pontifex prius „ con-

„ consulatur „ vid. si res moram patiatur, aut contributio Clericorum diutius sit continuanda. Immunitate locali Ecclesia ab omni processu sæcularium iudicum, & aliis compluribus actibus profanis debet vacare *cap. 1. & 5. eod. cap. decet 2. eod. in 6.* tuereturque confugientes in membris & bonis, ne è locis sacris (sub quibus quantum ad præfens comprehenduntur etiam Palatium Episcopale; Monasteria; Orphanotrophia, Xenodochia autoritate Episcopi erecta, vel sub ejus curâ fundata; oratoria publica autoritate Episcopi constructa; item loca Ecclesiæ adjecta vel connexa, qualia sunt; turris, Sacristia, atrium) extrahi aut ibi puniri possint, nisi commiserint crimina excepta in constit. *cum aliis nonnulli* GREG. XIV. quæ declaratur & extenditur per constit. BENED. XIII. publicatam 15. Junii Anno 1725. quæ incipit: *edito*: in quâ excipitur omne homicidium animo præmeditato commissum. Quibus constit. etiam declaratur modus extrahendi & extradendi reos criminum exceptorum.

SECTIO QUARTA.

Contractus Clericorum.

§. I.

Contractus propriè dicti.

Clericis singulis concessum est de rebus suis & fructibus beneficiorum suorum quovis inire contractus: ex quibus primo loco occurrit commodatum, quod est contractus nominatus, quo res aliqua gratuitò alicui utenda conceditur ad tempus, finem ac modum certum, eâ lege: ut eadem res in specie reddatur. „ Cum gratiâ sui quis „ commodatum accepit, de levissimâ etiam culpâ tenetur: licet casus fortuitus (nisi „ acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in morâ fuisset) sibi non debeat imputari „ *cap. un. de Commod.* gratiâ concedentis sit depositum, quo res custodiæ causâ traditur, quam deponenti pro voluntate suâ licet revocare, ita ut non sit locus compensationi *cap. bona fides 2. de Depos.* Depositarius ex vi hujus contractûs tenetur solum de culpâ latâ *cap. 2. cit.* ex deposito à solo Prælato vel Capitulo suscepto, in utilitatem Ecclesiæ non verso non obligatur Ecclesiæ *cap. gravis 1. eod.* inter contractus onerosos nominatissimus est (quo omnis hodie mercatus fere sustinetur) emptio & venditio, pactio pretii pro merce, mercis pro pretio; adeoque merce, pretio & consensu perficitur: & potest sub variis pactis iniri, modò absit fraus usuraria, qualis adesse præsumitur in pacto retrovenditionis modico constituto pretio *cap. ad nostram 5. de Empt. & Vend.* si res vendita ab altero probante, se esse Dominum, evincatur, venditor debet restituere pretium, & præstare, quanti emptoris interest, rem evictam non fuisse, nisi hic illum monere neglexerit de lite motâ; aut contumaciter absens condemnatus, aut per injuriam re fuerit spoliatus *cap. fin eod.* Venditor deceptus ultra dimidium justipretii agere potest, ut res sibi reddenti pretium acceptum restituatur, vel justum pretium suppleatur, & in hoc electio est emptoris *cap. cum dilecti 3. cap. cum causa 6. eod.* hæc actio ex æquitatis, imò juris ratione extenditur etiam ad emptorem solventem ultra medietatem

dietatem præter justum pretium. Emptioni - Venditioni proxima est, iisdemque fere juris regulis consistit locatio-conductio: vi cuius tenetur locator tradere rem usui convento aptam, vel præstare operas præfinito tempore; nec potest ante finitum tempus rem locatam repetere, nisi vel res refectioe indigeat, vel ob non prævisam causam sibi sit necessaria; aut perversè conductor in re conductâ fuerit versatus; aut à solutione pensionis per biennium cesset, nec celeri satisfactione sibi provideat, *cap. propter 3. de loc. & cond.* Conductor verò debet in conductione usque ad præfixum tempus persistere; & damnum, quod ex ejus culpâ levi accidit, refarcire; & integram pensionem solvere, nisi ei sit aliqua remissio facienda propter sterilitatem sine ejus culpâ contingentem, quæ cum ubertate præcedentis vel subsequæntis anni non valeat compensari *cap. propter 3. cit.* similis locationi, præsertim perpetuæ sive ad longum tempus, est emphyteusis, ratione cuius emphyteuta in recognitionem Domini directi teneturolvere annum Canonem, à cuius solutione si culpabiliter cesset per biennium, amittit emphyteusin Ecclesiasticam, nisi ocyùs moram purget *cap. fin. eod.* contractus innominatus est permutatio, quâ una res in specie pro aliâ re in specie præstatur; circa beneficia concludi vel fieri nequit sine auctoritate Episcopi *cap. quasitum 5. cap. cum olim 7. de Rer. permut.* si permutatio beneficiorum completa est ex unâ parte, & per alteram stat, quo minùs impleatur, illa ex indulgentiâ restituitur *cap. ult. eod.* contractibus perfectis tam nominatis, quàm innominatis ad eorum majorem securitatem solent adhiberi imò & principaliter pignus: cuius fructus creditor debet computare in sortem *cap. cum contra 6. de Pign.* exceptis aliquibus casibus expressis *cap. 1. de Feud. cap. salubriter 16. de Usur. cap. plures 1. de Usur.* pactum legis commissoriæ in pignoribus reprobatur *cap. significante 7. de Pign.* 2dò fidejussio, cuius frequentia interdicitur Clericis *cap. 1. de Fidejuss.* vi cuius fidejussor ad idem, ad quod principalis debitor, obligatur, adversus quem tamen (præterquam quod habeat tria beneficia: sc. Ordinis, Divisionis, si nempe plures fidejusserint, & cedendarum actionum) si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, aut si ipse forsan prætermisso ordinis beneficio fuerit condemnatus, agere potest, ut à fidejussione liberetur *cap. fin. eod.* si Clericus debitor non sit solvendo, non debet excommunicari, nec aliter molestari, sed jurabit de solvendo, cum venerit ad pinguiorem fortunam *cap. Odoardus 3. de Solur.* Ecclesia non potest obligari ad solvenda aliena debita ex facto illegitimo Prælati *cap. 2. eod.* qui solvit indebitum (quod debet probare, nisi alter solutionem neget) habet conditionem indebiti *cap. fin. eod.*

§. II.

Contractus improprie dicti.

Quamquam donatio jure novissimo videatur esse contractus, & quidem stricti Juris; attamen magis pertinet ad causam liberalitatis, quam obligationis seu contractûs: hinc equidem in dubio non præsumitur, ac si certa sit, in dubio latissimè est interpretanda *cap. cum dilecti 6. de Donat.* an valeat donatio facta per Prælatum, attendi debet quantitas rei donatæ & loci consuetudo legitima *cap. caterum 3. eod.* certò invalida est donatio immoderata facta à Prælato inconsulto Capitulo in detrimentum Ecclesiæ

cap. Fraternitatem 2. eod. si Donatori non habenti liberos insperato nascatur proles ; aut si sit inofficiosa ; & ex causis ingratitude expressis *cap. fin. eod.* quibus adde *l. 10. C. de Revoc. Donat.* si Donatarius implere noluerit conventionem donationi appositam, revocari potest. Donationes quædam, sed improprie sunt ultimæ voluntates, quarum præcipua est testamentum, cujus basis est hæredis institutio, sine quâ uti & aliis juris solemnitatibus inutile est etiam pro foro interno. Potest autem testator plures gradus hæredum & institutionum facere ; sed quælibet post primam vocatur substitutio ; quæ est directa, vel indirecta, quæ & obliqua ac Fidei-Commisoria appellatur ; in substitutionibus autem interpretatio est facienda „ dummodo verbis & personis con- „ veniat institutis, ut substitutio directa intelligatur potius, quàm obliqua ; quan- „ quam directa interdum ad fidei-commissum ex causâ trahatur „ *cap. si Pater 1. de Te- tam. in 6.* hæres fidei-commisso gravatus potest detrahere quartam Trebellianicam, & simul legitimam, si sit hæres necessarius *cap. Raynutius 16. cap. Raynaldus 18. eod.* in testamentis ad causas pias non requiruntur juris positivi solemnitates *cap. relatum 21. eod.*

SECTIO QUINTA.

Clerici Regulares.

§. I.

Professio & Status Religiosorum.

STatum Religiosum constituit immobilis obligatio ad tria Evangelica consilia in ordine ab Ecclesiâ approbato, perpetuo voto firmata : est autem votum promissio Deo facta de bono meliori : aliud est personale, cujus obligatio stringit solum voventem, nisi alius se fecisset voti participem, *cap. licet 6. de vot. & vot. red.* aliud reale, cujus obligatio transit ad hæredes ; aliud simplex, aliud solemne, cujus „ solemnitas ex solâ constitutione „ Ecclesiæ est inventa „ *cap. un. eod. in 6.* in quod omnia vota simplicia possunt propria autoritate commutari, *cap. scriptura 4. eod.* & hoc constituit statum religiosum ; quem etiam constitui votis simplicibus in Societate Jesu post biennium Novitiatus emissis, dubium non est ob declarationem GREG. XIII. in Bullâ : *Ascendente Domino.* Ingressus Religionem ante professionem integro & continuo anno (quo durante retinet, si quod habet, beneficium *cap. beneficium 4. de Regul. in 6.* ac bona temporalia, de quibus tum inter vivos, tum mortis causâ disponere potest ; circa dispositiones inter vivos servandum est decretum Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 16*) post susceptum habitum religiosum in Monasterio est probandus : nec professio fieri debet ante decimum sextum annum expletum, Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 15.* professio tacita fit tribus modis jure approbatis, *cap. vidua 4. cap. ad nostram 8. cap. ex parte 22. de Regul. cap. is qui 1. eod. in 6. Clem. 2. eod.* & si adsint requisita, Trid. eandem non esse sublatam, videtur probabilius. Volens contra Professionem reclamare non auditur, nisi intra quinquennium retento habitu causas nullitatis coram proprio Superiore & Ordinario deducat, Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* contra lapsum quinquennii restituit solus S. Pontifex. Professus studio majoris perfectionis ductus

ductus ad strictiorem Ordinem petita, licet non obtenta licentiâ Superioris transire potest
cap. licet quibusdam 18. de Regul. Apostatas, fugitivos & ejectos Superiores Ordinum tenentur annuatim inquirere, & ad reditum cogere, cap. fin. eod.

§. II.

Jura aliqua & Ecclesie Regularium.

Non tantum Canonicos Regulares officiis clericalibus & saluti animarum promovenda vacantes, sed & Monachos ex primævo instituto contemplationi incumbere obligatos (quos & illos inter hodie fere nulla est differentia) esse capaces Parochiarum etiam sæcularium; constat satis de jure antiquo, *c. sunt nonnulli 25. c. in Parochia 31. caus. 16. q. 1.* quod facit textus *cap. quod Dei 5. de stat. Monach. & Can. Regul.* & eruitur ex Jure novissimo Conc. Trid. *sess. 14. de reform. cap. 11. sess. 23. de reform. cap. 15. sess. 25. de Regul. cap. 11.* Dubium: an, cum Parochi Regulares sine præviâ approbatione Episcopi ad curam animarum accedere nequeant, Superior Regularis eos possit removere, non requisito consensu Episcopi, nec ei indicatis causis sui judicii? sustulit BENEDE. XIV. declarans: id posse Superiorem Regularem, per specialem constit. quæ incipit: *Firmandis publicatam 18. Novembris anno 1744. §. eveniente.* Cum autem Religiosi curæ parochiali aliisve administrationibus extra Monasteria præficiuntur, de jure scripto (cui per contrariam consuetudinem est derogatum) non debent esse soli sine socio, *cap. 2. & 5. de statu Monach. cap. ex parte 3. cap. ad audientiam 4. de Capel. Monach.* sicut quævis loca pia auctoritate Ecclesiasticâ erecta, ita & Monasteria Regularium unâ cum Ecclesiis ad illa pertinentibus Episcopo sunt subjecta, nisi exemptionem probent, *cap. 6. 7. & 8. de Relig. Dom.* Quid juris competat Monasteriis circa Parochias incorporatas, judicandum est ex qualitate unionis; in quâ tamen materiâ, cum Jura & DD. subinde valde confusè loquantur, plurimum videtur esse tribuendum locorum consuetudini, concordiis & contractibus & particularibus præscriptionibus. Regulares Exempti immediatè S. Pontifici subjecti debent se in Congregationes redigere; & Congregationibus constitutis eadem, quæ aliis, competunt, Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 8.* Capitulis autem juxta formam juris celebrandis à Monasteriis in Congregationes redactis & Visitationibus ab illis deputatis ampla potestas auctoritate Apostolicâ corrigendi & reformandi tam Prælatos, quàm subditos attributa est *cap. in singulis 7. cap. ea quæ fin. de statu Mon. & Can. Regul.* „ quamdiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda „ *cap. inter quatuor 5. de relig. domib.*

LIBER QUARTUS. SECTIO PRIMA.

Sponsalia.

§. un.

Obligatio & dissolutio Sponsalium.

Sponsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii validi & liciti inter personas habiles; quales sunt etiam impuberes habentes usum rationis septennio majores, *cap.*

litteras 4. cap. accessit 5. de de spons. impub. quorum Sponsalia equidem valida sunt, sed infirma; ita ut, licet ante pubertatem resilire non valeant, nequidem mutuo consensu, prius tamen pubefactus statim resilire possit; si tempore contractus alter erat pubes, hic resilire nequit, *cap. de illis 7. eod.* „ ex Sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel „ impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè: ut si „ præsentibus fuerint, & non contradixerint, obligantur „ *cap. un. §. 2. eod. in 6.* ex Sponsalibus oritur obligatio directa ad contrahendum suo tempore Matrimonium: vel absolute, si nulla iis fuerit apposita conditio; vel si conditio propriè dicta (qualis non est de præterito, præsentibus, vel futuro necessario) fuerit purificata. Unde post contracta cum unâ Sponsalia nec licitè nec validè possunt contrahi Sponsalia cum secundâ: nec hæc attentata firmantur copulâ aut juramento. Sponsalia contracta sub conditione impossibili vel turpi, etiam non repugnante bonis Matrimonii, non valent. Indirectè obligant Sponsalia ad vitanda illa, quæ huic promissioni sunt contraria. Pars injustè resiliens à Sponsalibus perdit arrham, & probabilius tenetur solvere pœnam conventionalem moderatam; licet autem absolute ad contrahendum Matrimonium cogi possit, *cap. ex litteris 10. de Sponsal.* moneri tamen potius debet, quàm cogi, *cap. requisivit 17. eod.* Sponsalia (licet jurata) mutuo consensu dissolvi possunt, *cap. præterea 2. eod.* solvuntur Matrimonio cum aliâ contracto, *cap. sicut 22. cap. si inter 31. eod.* lapso termino, quo fuit contrahendum Matrimonium, ex parte ejus, qui non fuit in morâ, *cap. sicut 22. cit.* ingressu in religionem ex parte remanentis in sæculo; ipsa professione, & sacrorum Ordinum susceptione, quæ tamen illicita est, unde per verum sacrorum Ordinum post Sponsalia emissum non tollitur horum obligatio. Diuturna unius partis absentia parti alteri invitæ jubet cum alio Matrimonium contrahendi, *cap. de illis 5. eod.* Dolus accidentalis, notabilis superveniens mutatio, cujus exemplum est *cap. litteras 3. de conjug. leprof.* fornicatio sive sponsi sive sponsæ causam præbent dissolvendi Sponsalia.

SECTIO SECUNDA. Matrimonium.

§. I.

Essentia & requisita Matrimonii.

Matrimonium rectè definitur *cap. illud 11. de præsumpt.* quod sit maris & fœminæ conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens. Simul contractus & inter baptizatos Sacramentum est; utraq; ratione fit, si contrahatur per procuratorem, qui ad hoc mandatum habuerit speciale, & contrahit per se ipsum, non per alium, nisi hoc eidem specialiter commissum sit; neque à domino sit revocatum mandatum, antequam contraxerit; aliàs licet tam ipse quàm ea, cum quâ contraxerit, revocationem penitus ignorent, nihil efficitur, *cap. procurator 9. de procur. in 6.* licet communiter consensus, quo Matrimonium contrahitur, debeat esse absolutus, potest tamen Matrimonium sub conditione de futuro honestâ contrahi, quâ eveniente vi consensus primò præstiti, absque illius re-

nova-

novatione, valet *cap. super eo 5. de condic. appof.* condiciones turpes vel impossibiles in matrimonio pro foro externo habentur pro non adjectis, nisi sint contrariae bonis matrimonii *cap. fin. eod.* ad matrimonii valorem requiritur pubertas, *cap. ubi non est 2. de despons. impub.* nisi malitia suppleat aetatem, *cap. 9. & 10. eod. cap. un. eod. in 6.* item plena libertas, ab omni etiam metu gravi injustè ad extorquendum consensum incusso, *cap. cum locum 14. cap. veniens 15. de Sponsal.* non tamen solemnitas consueta loci, *cap. de Francis 1. eod.* nec consensus parentum, *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* ibidem statuto Conc. Lateran. sub INNOCENTIO III. celebrati relato in *cap. cum inhibitis 3. de despons. cland.* insistendo precipitur, ut ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesiâ inter Missarum solemnias publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, nisi illarum denuntiationes ab Ordinario remittantur ex justâ causâ: deinde irritantur matrimonia, post triginta dies à die primæ publicationis illius decreti in aliquâ parochiâ factæ, aliter, quàm præsentem Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, aut Ordinarîi licentiâ, & duobus vel tribus testibus contracta. Hæc Decretum ligat eos, qui solo animo sine Parocho & testibus contrahendi è loco recepti ad locum non recepti Concilii transeunt, non figentes ibidem domicilium. Quoad matrimonia hæreticorum observanda est constitutio BENEDICTI XIV. quæ incipit: *Matrimonia qua in locis,* edita anno 1741. 4. Novembris. Soluta primo matrimonio secundum, & ita ulterius validè contrahi potest, & (modò habeatur moraliter certa de solutione prioris matrimonii notitia, *cap. in presentia de sponsal. cap. dominus 2. de sec. nup.*) licitè, etiam intra annum luctûs, sublatis jure civili impositis in odium secundò nubentium pœnis, *cap. super illa 4. cap. cum secundum 5. de sec. nup.* quæ licet solius infamix meminerint, hoc ipso tamen, quod liberam nubendi facultatem declarent, omnes pœnas sustulisse censentur, salvis illis, quæ non tam pœnæ, quàm favores sunt liberorum prioris thori.

§. II.

Bona Matrimonii & Conjugatorum.

TRia præcipuè sunt Bona Matrimonii: FIDES obligans tum ad debita thori conjugalis, & eundem immaculatum custodiendum, tum ad mutua vitæ humanæ solatia; nisi altera pars labatur in adulterium: vel carnale, *cap. significasti 4. de divors.* (nisi vel condonetur, vel vicissim adulterii pars ante innocens rea fiat, *cap. ex literis 5. eod.* aut ab alterâ parte directè vel indirectè causatum fuerit, „cùm adulterium ei non possit ob-
 „jicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam „*cap. 6. de eo qui cogn. consang.*) vel spirituale infidelitatis, *cap. de illa 6. cap. quanto 7. de divors.* vel nisi conetur compartem in crimina pertrahere; aut nimia adsit sævitia; vel corporalis ex morbo contagioso infectionis periculum. SACRAMENTUM omnimodam in matrimoniis baptizatorum inferens indissolubilitatem; quamvis & hæc conveniat matrimonio, prout est in officium naturæ, ita ut conjugum infidelium alter etiam conversus ad fidem separari debeat à mulieribus primæ legitimæ uxori superinductis, *cap. gaudemus 8. eod.* nec vivente primâ aliam habere possit, nisi illa renuat ipsi cohabitare, vel in hoc quidem consentiat, sed non

E

sine

sine contumeliâ Creatoris, *cap. gaudemus cir.* matrimonio autem in fide Christi contracto solvitur hoc, quod prius in infidelitate fuit contractum, *cap. gaudemus cir. & cap. quanto 7. eod.* PROLES, ad cujus honestam generationem & educationem ordinatur matrimonium; hæc sive stante matrimonio, sive ex personis nullo impedimento obstructis, inter quos postea sequitur matrimonium, nata est legitima, *cap. conquestus 1. cap. tanta 6. qui fil. sint legit.* imò licet matrimonium sit invalidum, modò bonâ fide etiã tantum ab unâ parte se tenente secundum formam Ecclesiæ sit contractum, proles tamen stante tali fide concepta est legitima, *cap. cum inter 2. cap. perlatum 8. cap. ex tenore 14. eod.* in dubio semper est præsumptio pro legitimitate, nisi contrarium ostendatur, ad quod non sufficit probare impedimentum matrimonii, si hoc fuerit in facie Ecclesiæ contractum; & parentes, quamdiu vixerint, in eo quietè permanferint, *cap. pervenit 11. eod.*

Bona Conjugatorum, quæ adfert marito uxor, sunt DOS, cujus traditæ in rebus mobilibus, vel immobilibus æstimatis vendendi causâ consistentis plenum dominium acquirit maritus, cum obligatione tantundem (seclusis specialibus pactis dotalibus) soluto matrimonio restituendi, *arg. cap. significavit 2. cap. donatio fin. de donat. inter vir. & uxor.* nisi ob adulterium plenè dotem lucretur, *cap. plerumque 4. eod.* si maritus ad inopiam vergat, potest ab eo cautio exigi ratione dotis, *cap. per vestras 7. eod.* PARAPHERNA, quæ maritus uxoris nomine administrat; & RECEPTITIA, quorum administrationem sibi uxor reservat. Quæ maritus uxori adfert, sunt CONTRADOS, & ubi usus obtinet DONUM MATUTINALE: denique alia sunt communi titulo stante conjugio acquisita, quæ dividenda sunt, *cap. significavit cir.* ,, donatio, quæ constante matrimonio inter ,, conjuges dicitur esse facta (ex quâ alter locupletior & pauperior alter efficitur) firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ ,, persolvat ,, *cap. fin. cir.*

SECTIO TERTIA.

Impedimenta Matrimonii.

§. I.

Impedientia.

PRÆter Sponsalia, de quibus supra, obstant matrimonio, ne licitè contrahatur, interdictum: vel speciale, quo ob suspicionem latentis impedimenti, injuriam tertii, aliamve causam prohibetur, ne inter aliquas personas matrimonium contrahatur: exempla sunt in *cap. litera 1. cap. ex literis 2. de matr. cont. contra interd. Eccl.* si matrimonium contrahendum prohibeatur, sufficit semiplena probatio per unum v. g. testem, *cap. preserea 12. cap. cum in tua 27. de Sponsal.* vel generale contentum in Trid. sess. 24. de Reform. matr. cap. 10. ne ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à feriâ quartâ Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusivè nuptiæ solemniter celebrentur. *Votum simplex*
sive

sive non nubendi, sive suscipiendi sacros Ordines, sive Religionis, sive perpetuæ continentia; quo emisso, nisi obtenta fuerit dispensatio, matrimonium illicitè contrahitur, *cap. rursus 6. qui cler. vel vov.* denique varia crimina secundùm antiquos Canones impediebant matrimonium, quos contrario usu abolitos passim testantur DD.

§. II.

Dirimentia.

Impedimenta dirimentia jure naturali sunt: Error circa personam vel obligationem matrimonii, vel circa qualitatē redundantem in substantiam. *Consanguinitas* in lineā rectā in infinitum, in solo gradu primo lineæ transversæ, *arg. cap. gaudemus 8. de divor.* *Affinitas* orta ex copulâ matrimoniali in primo gradu lineæ rectæ. *Impotentia* perpetua matrimonium antecedens, sive naturalis, sive accidentalis, *cap. quod sedem 2. cap. ex literis 3. cap. fraternitatis 6. de frig. & malef.* quæ matrimonio bonâ fide contracto etiam ab utraque parte asserta debet probari, ut proferatur sententia divortii, *cap. accepisti 1. eod.* si sit dubia, debent vir & mulier triennio cohabitare, ut constet de perpetuitate, *cap. laudabilem 5. eod.* *Ligamen*, ita ut matrimonium primum tantùm ratum non dissolutum irritet secundum etiam carnaliter consummatum, *cap. licet 3. de spons. du.* Impedimenta dirimentia ex Jure Ecclesiastico, & consequenter absolutè per Ecclesiam dispensabilia sunt: *Votum* solemne Professionis Religiosæ, *cap. meminimus 3. qui cler. vel vov.* *Sacer* *Ordo* sponte saltem à pubere susceptus, *cap. 1. & 2. eod.* *Cultus disparitas* ex jure consuetudinario. *Conditio servilis* in unâ parte ab alterâ liberâ ignorata, *cap. 2. & 4. de conjug. serv.* *Cognatio triplex, naturalis* usque ad quartum gradum lineæ transversæ inclusivè, *cap. non debet 8. de consang. & affin.* *Spiritualis* ex Trid. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* inter baptizantem & paternos ex unâ, & baptizatum ejusque parentes ex alterâ parte: idem est de Confirmatione. *Legalis* inter adoptatum & descendentes adoptantis, quamdiu durat adoptio, *cap. un. de cogn. leg.* inter adoptantem ejusque conjugem & adoptatum ejusque descendentes, qui tempore adoptionis in ejus erant potestate. *Crimen*, quadripartitum: adulterii conjuncti vel cum occisione ab unâ parte ex intentione ducendi complicem, *cap. super hoc 3. de eo, qui dux. in matr.* vel cum attentato matrimonio, *cap. ex literarum 4. cap. cum haberes 5. eod.* vel cum promissione matrimonii seriò factâ & stante matrimonio acceptatâ, *cap. significasti 6. eod.* vel conjugicidii secluso adulterio ex utriusque machinatione sive physicè sive moraliter concurrente ex intentione se invicem ducendi, secuti, *cap. laudabilem 1. de convers. infid.* *Affinitas* orta ex copulâ conjugali usque ad quartum gradum inclusivè, *cap. non debet cit.* quo sublata est affinitas secundi & tertii generis: uti nec inter consanguineos viri & uxoris matrimonium fieri prohibetur, *cap. quod super his 5. de consang. & affin.* si verò sit orta ex copulâ fornicariâ, à Trid. *sess. 23. de reform. matrim. cap. 4.* restricta est ad secundum gradum: si superveniat matrimonio, privat jure petendi obligatoriè & licitè debitum à sensu contrario, *cap. discretionem 6. cap. tua 10. cap. Jordana 11. de eo, qui cogn. consang. ux.* *Honestas publica* orta ex sponsalibus absolutis validis (his mutuo consensu dissolutis probabilis manens) in primo solùm gradu, Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 3.* & ex matrimonio rato, etiam ex alio, quàm consensu, defectu

defectu invalido usque ad quartum gradum inclusivè. *Raptus* puellæ matrimonii contrahendi causâ, inter quam & raptorem, quamdiu ipsa in illius potestate manet, matrimonium consistere nequit, *Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 6.* Demum *Clandestinitas* & *Metus*, de quibus supra dictum est.

Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

At ut matrimonium contractum præsumptivè validum nullum declaretur, impedimentum debet plenè esse probatum. Suntque super impedimentis ortis ex conjunctione sanguinis & similibus ante alios audiendi parentes & consanguinei, *cap. videtur 3. de his qui matr. accus.* super illis, quibus conjuges renunciare possunt, ipsi conjuges; super aliis indifferenter omnes, qui carent suspitione calumniæ, quâ non carent, qui vel spe quæstus impedimentum deferunt, *cap. significante 5. eod.* vel tempore factarum denunciationum tacuerunt, nisi eas probabiliter ignorârint, aut jurent se postea in cognitionem impedimenti devenisse, & illud malitiosè se non deferre, *cap. cum in tua fin. eod.*

LIBER QUINTUS.

SECTIO PRIMA.

Processus criminalis.

§. I.

Ingressus Judicii criminalis.

TRibus modis causæ & actiones criminales in judicium deducuntur & instituuntur: primus difficilior est **ACCUSATIO**, quæ est criminis alicujus apud competentem Judicem ad vindictam publicam cum inscriptione facta delatio; hanc facere obligantur idonei, si (quod rarò accidit) Reipublicæ aut Ecclesiæ bonum spirituale vel temporale exigat: cœptam lite contestatâ tenetur accusator prosequi à sensu contrario, *cap. licet 14. de accusat.* in quo desistentibus ab accusatione ante inscriptionem imponitur silentium. in nullâ causâ admittitur ad accusandum inimicus capitalis, ejus familiaris aut commensalis, *cap. 7. 10. & 13. eod.* In criminibus exceptis (qualia sunt læsæ majestatis, hæresis &c.) admittuntur illi, qui regulariter non audiuntur, ut infames, mulieres, accusati de gravi crimine, quos aliosque inhabiles ex officio Judex ab accusando debet repellere, *cap. si legitimus 1. eod.* accusari possunt omnes doli capaces externè delinquentes, etiam minores; modò his detur curator, qui causæ assistat: nisi vel legitimè & perfectè jam semel à crimine sint absoluti, *cap. de his 6. eod.* vel per lapsum temporis contra accusationem præscripserint. Regulariter autem accusatio in propriâ personâ ex parte utriusque, tum accusatoris, tum rei est tractanda, licèt exceptiones dilatorias & causas absentis procurator possit proponere, *cap. veniens 15. eod.* Accusatio legitima pendens gravat opinionem de accusato, ut interea ad beneficia vel officia promoveri non debeat,

cap.

cap. omnipotens 4. eod. Secundus modus communior & ordinarius est INQUISITIO, quæ vel est generalis, & hæc sine ullâ præcedente infamiâ institui potest, *cap. sicut olim 25. eod.* vel est specialis de persona & generalis de delictis, & hæc de jure scripto requirit infamiam inquisiti, *cap. qualiter 24. eod.* ubi statuitur, qualiter inquisitio fieri debeat contra subditos & etiam contra Prælatos. Nisi fiat ad correctionem rei, vitandum damnum Ecclesiæ, impediendam promotionem indigni, vel est specialis de personâ & delicto, de quâ an ad occultas delationes fieri debeat? *cap. inquisitionis 21. §. 1. eod.* Resp. INNOC. III. „ Nullum esse pro crimine, super quo aliquâ non laborat infamiâ, seu clamosa in- „ sinuatio non processerit, propter dicta hujusmodi puniendum . . . nec ad petitionem „ eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inqui- „ sitionem super contentis ibidem criminibus faciendam „ Forma juramenti, quod inquisitores debent exigere ab inquisitis, refertur *cap. qualiter 17. eod.* inquisitio tamen super veritate criminum omniâ inquisitione infamiæ valet, si reus præsens non reclama- vit, *cap. si is 2. eod. in 6.* Tertius modus facilior est DENUNCIATIO judicialis, quâ publicus Officialis, vel ex recepta consuetudine, quilibet vit honestus in ordine ad vindictam publicam citra obligationem probandi Superiori criminofum defert: Canonica Denunciatio, quæ fit ad corrigendum delinquentem *cap. super his 16. eod.* præviam requirit charitativam monitionem, *cap. si quis 2. eod.* facta legitima denunciazione jurisdictionis Prælati est suspensa quoad punctum denunciationis, in cæteris ipsi obediendum, *cap. olim 26. eod.* specialim denunciatio de dilapidatione interdicta est alienatio, *cap. Prælatorum fin. eod.* Causæ criminales Episcoporum tractandæ sunt conformiter Trid. *sess. 13. cap. 6. 7. & 8. sess. 24. cap. 5. de reform.*

§. II.

Quadam alia pertinentia ad processum criminalem.

Falsa crimina intentans est Calumniator & punitur hodie pœnâ arbitrariâ *cap. cum for- tius 1. cap. cum dilectus 2. de Calumn.* deficiens in probando præsumitur Calumniator, nisi probet se justam accusandi causam habuisse *cap. 2. cit.* si accusator colludat cum reo: vel prævaricando, dum probationes dissimulat, vel falsas rei exceptiones admittit; vel tergiversando, dum absque justâ causâ ab accusatione desistit, potest iudex contra reum ex officio procedere, aut nova accusatio institui *cap. scripta 1. cap. crimina 2. cap. in tantum 4. de Collus. de reg.* deficiente probatione reus est absolvendus, nisi ipsi sit indicenda purgatio Canonica (vulgaris, quæ fit per monachiam, ferrum candens &c. est reprobata *cap. 1. 2. & 3. de Purg. vulg.*) vel ex officio iudicis, vel ad instantiam ipsius accusati, dum sc. ob infamiam vel suspicionem contractam personæ de perjurio non suspectæ imponitur, ut juret, se crimen objectum non perpetrâsse; & inducat compurgatores, qui jurent de credulitate, quòd purgans verum dixerit, de quo *cap. 5. 7. 9. 11. 12. 13. de Purg. Can.* aliquæ purgationis formulæ reprobantur *cap. accepimus 16. eod.* graviter infamatus de crimine ante purgationem quandoque suspenditur *cap. inser 10. eod.* si alicui per modum exceptionis crimen opponatur, modus tunc procedendi traditur, *cap. super his 16. de Accus.*

SECTIO SECUNDA.

Crimina Clericis cum Laicis communia.

§. I.

Crimina seu Delicta contra Deum.

INter hæc primum locum in Corpore Juris hoc libro habet Simonia, cùjus comparatione cœtera crimina quasi pro nihilo reputantur *c. ult. cau. 1. q. 7. cap. per tuas 32. de Sim.* describitur autem: studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale vel spirituali annexum pro pretio temporali: non committitur sine pacto formali vel virtuali *cap. tua nos 34. eod.* irritat omnem provisionem de beneficio factam, licet ab aliis ignorante proviso sit commissa *cap. Matthaus 29. cap. ex insinuatione 26. eod.* nisi in fraudem provisi datum vel promissum sit temporale *cap. nobis. 27. eod.* aut nisi ipse provisos contradixerit *cap. sicut tuis 33. eod.* si in susceptione ordinum, statûs Religiosi & beneficiis committatur, ipsum jus decernit pœnas: aliàs Simoniacus punitur officio judicis *text. & DD. tit. cit.* neque mentalis Simonia punitur jure Canonico *cap. tua nos. cit. cap. mandato 46. eod.* neque purè conventionalis; nisi sit confidentialis, quæ variis modis committitur, & specialiter punitur ac reprobatur constitutione PII IV. editâ anno 1564. quæ incipit: *Romanum Pontificem.* Innovatâ & auctâ per PIUM V. in const. editâ 1569. incip. *Intolerabilis.* Quamvis reditus Ecclesiæ cœteris paribus licitè possint erga temporale concedi *cap. sine prelat. vic. &c.* Jurisdictio tamen Ecclesiastica, vel regimen aut administratio Ecclesiæ dari nequeunt pro temporali *cap. 1. 2. & 3. eod.* ne quidquam exigatur pro licentiâ docendi, vetatur quidem *cap. 1. 2. & 3. de Magist. & ne &c.* attamen si quid detur vel exigatur, potest esse injustum; sed non, per se loquendo, Simoniacum. Deinde in Deum peccant Judæi, Saraceni, & Hæretici: Judæi quidam justis de causis tolerantur, tum quoad personas, tum quoad ritus *cap. sicut Judæi 9. cap. etsi 13. de Juda. & Sarac.* attamen vitanda est eorum familiaritas, speciatim in casibus à jure expressis; neque sunt officii publicis inter Christianos præficiendi *cap. 16. & 18. eod.* „ sicut legalis definitio „ *L. 19. §. 1. C. de Jud.* „ Judæos novas non patitur erigere Synagogas, ita eos sine iniquitate veteres habere permittit „ *cap. Judæi 3. eod.* Saracenis tempore belli cum Christianis quascunque merces, tempore pacis illa, quibus se contra Christianos arman, transferentes excommunicantur *cap. ita quorundam 6. cap. quod olim 12. eod.* quæ excommunicatio extenditur & reservatur in Bullâ Cœnæ Domini §. 7. Hæretici sunt, qui pertinaciter errorem in fide contra Ecclesiæ Catholicæ definitionem tuentur, externi licet occulti incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *cap. ad abolendam 9. cap. excommunicamus 13. de Hæret. J. Bullâ Cœnæ §. 1.* idem est de fautoribus, defensoribus & receptatoribus hæreticorum quâ talium; iisque credentibus: item de legentibus hæreticorum libros de religione tractantes, eos scienter detinentibus & imprimentibus sine legitimâ facultate. Facultatem absolvendi ab hæresi occultâ pro foro interno concessam

Episco-

Episcopis, non eorum Vicariis, à Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* per Bullam Cœnæ re-
 vocatam esse, judicamus speculativè probabilius; probabiliter tamen dici potest pro
 praxi, calum hæresis, etiam notoriæ, in Germaniâ esse Episcopalem. Clerici etiam
 solemniter degradandi sunt ob hæresin; in quam relapsis omnino audientia denegatur
cap. ad abolendam cit. cap. super eo 4. de Hæret. in 6. quinam autem verè vel fictè dicantur
 relapsi, explicatur *cap. 8. eod. in 6.* hæresi affine est schisma, quod facilè imò plerumque
 aliquam sibi constringit hæresin *can. 26. can. 24. q. 3.* & est discessio ab unitate Ecclesiæ;
 irritas facit tum beneficiorum collationes & bonorum Ecclesiasticorum alienationes *cap.*
1. de Schism. & ord. ab eis, tum ordinationes (quoad licitam executionem) à Scismaticis
 factas *cap. 2. eod.* ulterius in injuriam Dei vergunt Sacrilegium, quod si committatur
 scienter reiterando baptismum, inducit irregularitatem, ut communiter deducitur ex
cap. ex literarum 2. de Apost. & Reis, Bapt. si verò fiat in cendendo, vel violenter cum effra-
 ctione spoliando Ecclesias, inducit excommunicationem Papæ reservatam, & priva-
 tionem Ecclesiasticæ sepulturæ, nisi ante mortem fuerit satisfactum, vel data de satis-
 factione cautio *cap. super eo. 2. cap. in literis 5. de Raptor. incend. &c. cap. tua nos 19. cap.*
conquesti 22. de Sent. excom. Excommunicatio quoque latæ sententiæ & reservata decerni-
 tur in Trid. *sess. 22. de Reform. cap. 11.* J. Bullâ Cœnæ §. 17. contra usurpantes bona Ec-
 clesiæ, vel S. P. vel aliarum personarum Ecclesiasticarum ad eas titulo Ecclesiastico per-
 tinentia. Sortilegium, quo occultorum vel futurorum noticia ex signis nec ex naturâ,
 nec ex divinâ institutione ordinatis quæritur; de quo *cap. 1. & 2. de Sortil.* Blasphemia:
 quâ verbum injuriosum Deo vel Sanctis profertur, cujus pœna statuitur *cap. statuimus 2.*
de Maled. & in Conc. Lateran. V. sub LEONE X. sess. 9.

§. II.

Crimina contra Proximum.

INter hæc primo loco ponitur (utpote quo nobilissimum bonum proximi læditur)
 homicidium, quo citra vitæ propriæ defendendæ necessitatem (quæ excipitur *Clem.*
un. de Homicid.) occiditur homo, vel directè ex intentione, vel indirectè cum culpâ
 latâ & Theologicâ, dum datur opera rei licitæ *cap. Presbyterum 7. de Homicid.* aut sine
 culpâ adhibitâ quacunque diligentia, dum datur opera rei illicitæ de se periculose *cap.*
tua nos 19. eod. hujus criminis rei præter alias pœnas incurrunt irregularitatem, quam
 nec evadit, qui dubitat, an sit causa homicidii injusti, *text. & DD. tit. cit.* in irregula-
 ritate proveniente ex homicidio casuali occulto, aut defensionis gratiâ cum excessu
 moderaminis facto & ex mutilatione occultâ posse dispensare Episcopum, videtur pro-
 babiliter arg. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* gravioris culpæ rei sunt parentes proprios li-
 beros occidentes, de quibus *cap. 1. & 2. de his qui fil. occid.* aut cum periculo mortis in
 desertis locis exponentes; secluso tali periculo proles exponentes amittunt jus patriæ
 potestatis *cap. un. de Infant. & lang. expos.* ut homicidia vitentur, prohibentur tornea-
 menta sub pœnâ irregularitatis & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ *cap. 1. & 2. de Tor-*
neam. sub gravissimis quoque pœnis renovavit Conc. Trid. *sess. 25. de Reform. cap. 19.*
 duello-

duellorum prohibitionem contentam *cap. 1. & 2. de Cler. pugn. in du.* thoros proximi violatur & pudicitia læditur adulterio, stupro, aliisque illiciti concubitibus generibus: adulterii pœna de jure Can. respectu laicorum est excommunicatio *cap. intelleximus 6. de Adult. & Stup. in Clericis* depositio & in monasteriis ad agendam pœnitentiam reclusio *Can. 10. & seqq. Dist. 81.* si utraque pars commiserit adulterium materiale & formale, cessat accusatio ejus quoad pœnam quasi privatam *cap. intelleximus cit. cap. sua fraternitas 7. eod.* non verò quoad pœnam publicam de Jure Civili scripto. Stuprum dolo vel minis aut importunis precibus vel blanditiis illatum inducit obligationem ad seductam duendam vel dotandam *cap. si seduxerit 1. cap. pervenit 2. eod.* homicidio & adulterio ordine Decalogi subjungitur furtum, quod est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus possessionisve: præter obligationem restituendi, Clerici furti condemnati sunt infames *Can. infames 17. Can. 6. q. 1. cap. fin. de Furt. & deponendi Can. Presbyter 12. Dist. 81.* laici in defectu aliarum pœnarum excommunicandi. Furto propter illatam violentiam gravior est rapina, quæ inducit excommunicationem ferendæ sententiæ *cap. de illis 1. de rapt. &c. nisi exerceatur piratica in mari Pontificio, vel bona naufragorum Christianorum è mari vel littore auferantur, tunc enim est excommunicatio latæ sententiæ in Bullâ Cœnæ §. 3. & 4. reservata.* Furto proxima est usura, nam & species rapinæ est *Can. si quis usuram 10. Can. 14. q. 4.* quâ ob mutuum acceptum accipitur aliquid ultra sortem, velut ex obligatione datum: si fictus contractus adjicitur, dicitur usura palliata; exempla sunt *cap. 1. 2. 6. & fin. de Usur. si alio titulo: lucri cessantis, damni emergentis, pœnæ conventionalis, & probabiliter periculi fortis ultrò suscepti, detur & accipiatur ultra sortem, non incurritur vitium usuræ.* Usurarii etiam mentales, aut hæredes eorum tenentur illud, quod ultra sortem receperunt, restituere dantibus usuras, vel eorum hæredibus, aut pauperibus, *cap. 9. 10. 12. & 13. eod.* si repetens usuras etiam sit usurarius, non priùs auditur, nisi ipse restituat usuras, *cap. quia frustra 14. eod.* manifestus usurarius nec ad communionem admitti debet altaris, nec ad Christianam (si in hoc vitio decesserit) sepulturam; nec ejus oblatio recipi debet, *cap. quia 3. eod.* nec (nisi præstitâ satisfactione, vel de satisfaciendo pro viribus cautione) validum potest condere testamentum, *cap. quanquam 2. eod. in 6.* Clerici usurarii sunt suspendendi, Laici excommunicandi, *cap. præterea 7. eod.* imò Clerici deponendi, *cap. plures 1. eod.* vel maximè proximus in bonis & rebus exterioribus læditur crimine falsi, quo veritas dolosè in grave alterius præjudicium pervertitur, contra specialem juris prohibitionem: varii modi falsandi literas Apostolicas referuntur *cap. licet §. de crim. fals.* non præsumitur autem falsificasse rescriptum simplicis justitiæ, qui illo non utitur, *cap. accedens 8. eod.* pœna Clericorum & Laicorum falsantium literas Apostolicas, aut falsis utentium statuitur *cap. ad falsariorum 7. eod.* item in Bullâ Cœnæ §. 6. contra falsificantes aut falsò fabricantes literas Apostolicas, aut falsò signantes supplicationes fertur excommunicatio reservata.



SECTIO

SECTIO TERTIA.

Delicta peculiaria Clericorum.

§. I.

Delicta omnibus Clericis communia.

Clerici specialiter delinquunt, si tumultuosa & clamorosa venationi vacent, quæ tum cap. 1. & 2. de venat. Cler. tum à Trid. sess. 24. cap. 12. prohibetur. Si contra lenitatem percutiant; percutere soliti sunt deponendi, cap. si quis 1. de Cler. percus. si depositi divinis se ingerant, quo casu sunt excommunicandi, cap. 1. & 2. de Cler. excom. &c. si censurati actum Ordinis sacri exercent, efficiuntur irregulares, arg. cap. Apostolica 9. eod. cap. 1. de sent. & re jud. in 6. idem de interdicto, vel in loco interdicto celebrante disponitur cap. is qui 18. §. is verò. cap. is cui 20. de sent. excom. in 6. violatio tamen excommunicationis minoris non inducit irregularitatem, cap. fin. de Cler. excom. &c. si non ordinati actum Ordinis sacri exercent, qui efficiuntur irregulares, ut Ordines nondum susceptos suscipere non debeant, cap. si quis 1. de Cler. non ord. ministr. & ab Ordine proximè suscepto sint suspensi, donec dispenset Episcopus, cap. ex literis 2. eod. si non Sacerdotes celebrent, vel confessiones audiant, degradandi & Curia seculari tradendi sunt ex Const. CLEM. VIII. edita anno 1601. quæ incipit: *Et si alias.* Si Ordines superiores sine inferioribus suscipiant; quod fit quidem validè, sed illicitè, & ideo meritò sunt suspensi, donec (si publicè actum Ordinis sacri non exercuerint) dispenset Episcopus, cap. un. de Cler. per salt. prom. Trid. sess. 23. de reform. cap. 14. Si sine admissione Episcopi Ordinem suscipiant; vel duos Ordines majores eodem die, sine dispensatione Episcopi (aut proprii Superioris quoad Regulares) in suscepto Ordine ministrare, aut ad superiorem Ordinem ascendere non debent: & si ob excommunicationem ab Episcopo ante Ordinationem latam essent publicè irregulares, cum iis solus S. Pontifex dispensat, cap. 1. 2. & 3. de eo, qui furt. Ord. susc.

§. II.

Speciales excessus Prælatorum & subditorum, & abusus Privilegiorum.

Specialiter excedunt Prælati subditos indebitis exactionibus gravando, aliisve modis vexando, cap. 1. de excess. Præl. & subd. Ecclesias sine justa causa in aliorum præjudicium eximendo, cap. 2. eod. sine legitima autoritate uniendo, cap. 8. eod. beneficia conferenda suæ utilitati reservando, cap. 3. eod. indignis conferendo, cap. 11. eod. Majorum Prælatorum jurisdictionem usurpando, cap. 12. eod. à Majoribus lata interdicta violando, cap. 18. eod. Ecclesias tum sæculares, tum Regulares in visitatione, aliisque contra Privi-

legia & instituta molestando, *cap. 5. 7. 16. 17. & Clem. un. eod.* specialiter subditi excedunt, si sine legitimâ autoritate assumant jura Collegii, *cap. 14. eod.* si Vicarii sese debitè contra Principales erigant, *cap. 6. eod.* & generaliter si debitam reverentiam & obedientiam Superioribus negent, *cap. 15. eod.* Tractatur quoque hoc libro de privilegiis (quibus alicui particulari personæ, aut communitati seu corpori, vel loco speciale jus conceditur) in ordine ad delicta & excessus privilegiatorum: vel potiùs de utrisque simul ex proposito. Nam sicut privilegia nequidem indirectè violari debent, *cap. quanto 26. de privil. & excess. privil.* ut aliena privilegia violantes propriis spoliari possint, *cap. dilecti 4. eod.* nec malignâ interpretatione ita restringi, ut privilegiatis sint inutilia, *cap. in his 30. eod.* ita è diverso privilegiati non debent pravâ interpretatione privilegia sua contra vel præter mentem concedentis in alterius præjudicium extendere: hinc privilegium de decimis novalium non solvendis non comprehendit decimas ab aliis possessas, nisi de his in privilegio fiat mentio, *cap. dudum 31. eod.* nec ad alios, quàm quibus concessa sunt, extendi debent privilegia, *cap. sane 9. eod.* J. R. J. 7. in 6. similiter nec ad alia loca vel res, quàm quæ privilegii tenore exprimentur, *cap. porro 7. eod.* hinc exempti ratione certæ rei vel certi loci non censentur exempti ratione alterius loci aut rei, *cap. cum capella 16. eod.* quæ Constitutio est INNOC. III. cui inhærendum esse decernit Trid. *sess. 24. de reform. cap. 11.* nec exempto capite censentur exempta membra, *cap. ex ore 17. tit. cit.* & exemptione locali gaudent soli illi, qui sunt de communitate, *cap. quidam 32. eod.* qui ratione delicti, contractûs, rei sitæ subsunt Ordinariis, *cap. volentes 1. eod. in 6.* abutentes privilegiis, vel per sententiam, vel ipso jure ea amittunt, *cap. tuarum 11. cap. ut privilegia 24. cap. ex parte 27. eod.* privilegia Ecclesiæ amittuntur contrariâ quadraginta annorum præscriptione, *cap. accedentibus 15. eod.* alia quævis intuitu rei vel personæ, cui sunt concessa; revocatione tacitâ vel expressâ concedentis; non usu, si sint aliis præjudicialia; cessante contrariè in perpetuum causâ finali concessionis.

SECTIO QUARTA.

§. un.

Civilia contra delinquentes remedia.

AD vitandam ædificantium in solo injustitiam Jure Civili Prætorio inventum, & à Sacris Canonibus *cap. 1. de N. O. N.* approbatum remedium est novi operis nunciatio, quo quis jus suum tuetur, solemniter prohibendo, ne opus solo conjunctum vel conjungendum, sive sacrum, sive profanum, contra quodcunque jus reale fiat. Post eam ritè factam, sive jure, sive injuriâ aliquid construatur, legalibus, *L. 20 §. 1. ff. N. O. N.* debet constitutionibus demoliri, *cap. 1. cit.* adeoque nunciatus desistere debet ab opere cæpto, nec sufficit dare cautionem de demoliendo, *cap. significantibus 3. cap. is cui 4. eod. tit.* nisi nunciatus per tres menses expectatus jus suum non probaverit, *cap. is cui cit.* aut periculum sit in morâ, vel constet, nunciati nullum jus competere. Contra eos, qui intulerunt injuriam, quæ nunquam fit sine animo injuriandi; vel qui damnum dederunt

runt, datur actio injuriarum & de damno dato : injuriis annumerantur repressalix, specialiter in Clericos prohibita, cap. un. de injur. & damn. dat. in 6. qui vel agendo vel omit- tendo fuit causa damni in bonis reparabilibus, tenetur & damnum emergens & lucrum cessans compensare, cap. si culpa 9. eod. statutum & juramentum de non repetendo damno non extenditur ad expensas, cap. in nostra 8. eod.

SECTIO QUINTA.

Pœna Ecclesiastica delictorum.

§. I.

Pœna Fori pœnitentialis earumque remissio, & pœna vindicativa Fori externi.

Licet ad tollendum scandalum & alios à similibus peccatis deterrendum, pro delictis publicis publicæ (quarum hodie rarus est usus) sint imponendæ pœnitentiæ in foro externo; attamen, nisi pœnitentes publicas sponte petant & suscipiant, privatas tantum pœnitentiæ, salutares & convenientes, pro peccatis in Sacramentali Confessione (cujus semel in anno faciendæ præceptum Ecclesiasticum continetur in cap. omnius utriusque 12. de pœnit. & remiss.) expositis imponunt Confessarii. Pœnæ pro peccatis quoad culpam remissis debitæ, sive in hoc, sive in altero sæculo luendæ per indulgentias, h. e. ex thesauro Ecclesiæ, sub conditione aliquorum operum præscriptorum, existentibus in statu gratiæ remittuntur: vivis per modum judiciariæ absolutionis, defunctis per modum suffragii. Ex causâ prudentis arbitrio proportionatâ S. Pontifex illimitatè pro totâ Ecclesiâ potest concedere indulgentias; Episcopi autem solis suis subditis, cap. quod autem 4. de pœnit. & remiss. secundum limites positos à Conc. Lateran. IV. relato in cap. 14. eod. sub pœnis fori Ecclesiastici externi (quæ à solis habentibus jurisdictionem externam infligi possunt, vel per leges latas, vel per sententias) etiam continentur merè temporales; ut multæ pecuniariæ cap. Presbyter 2. de pœn. locis piis assignandæ ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. carceris inclusio cap. quamvis 3. de pœn. in 6. &c. pœnæ spirituales purè vindicativæ sunt privatio fructuum & beneficiorum; depositio ab officio & beneficio; degradatio faciendâ cum certâ solemnitate præscriptâ in cap. degradatio 2. eod. in 6. contracta ex delicto irregularitas. Contra aliquos graviore sacri legos graves pœnæ (quarum aliqua extenduntur ad descendentes) decernuntur tum in Decret. GREG. IX, tum in 6. tum in Clem. tis. cit.

§. II.

Pœna Medicinales.

HÆ sunt ad correctionem delinquentis ordinatæ, & vocantur censuræ. Tres autem in cap. quarenti 20. de V. S. numerantur censuræ species; Excommunicatio, Suspendio,

& *Interdictum*. Nomine excommunicationis simpliciter p̄lato non *minor*, quæ tantum directè privat Sacramentorum perceptione, sed *major*, quæ à communione fidelium separat, intelligitur *cap. si quem 59. de sent. excom.* quæ ferenda ab homine requirit præviam monitionem, *cap. sacro 48. eod.* & in scriptis expressâ causâ debet proferri, *cap. cum medicinalis 1. eod. in 6.* Excommunicatio, sicut & quælibet censura semel incurfa tantum absolutio-
ne tollitur, dandâ quoad reservatas censuras ab eo, qui illam tulit; ejus Superiore, Suc-
cessore vel delegato; in articulo mortis à quovis Sacerdote, sub onere se præsentandi
ferenti censuram reservatam, *cap. eos qui 22. eod. in 6.* licet ignorans, absens, invitus val-
lidè à censurâ possit absolvi, ordinariè tamen absolvendus debet cavere de satisfaciendo
parti læsæ, & juramentum præstare de parendo mandatis Ecclesiæ, *cap. ex tenore 10. cap. ad
hec 12. eod.* Excommunicatus non toleratus (qualis post Conc. Constant. est solus no-
torius Clerici percussor, & alius quicumque nominatim denunciatus) vitari debet tum in
civilibus & forensibus, tum in sacris, nisi excuset notabilis utilitas, obligatio matrimo-
nialis, subjectio, ignorantia, propria vel aliena gravis necessitas. extra hos casus Cle-
ricus communicans in sacris excommunicato à S. Pontifice, & alius quicumque in crimine
criminoso etiam majorem incurrit excommunicationem, *cap. significavit 18. cap. nuper 29.
cap. si concubina 55. eod.* appellans ab excommunicatione (quam præ tendit esse nullam,
v. g. ob errorem intolerabilem) est audiendus, licet non petat absolvi; secus si eam
præ tendat esse injustam, *cap. per tuas 40. eod.* Suspendio est censura, quâ persona Eccle-
siastica privatur exercitio Ordinis, officii vel beneficii Ecclesiastici: simpliciter lata
intelligitur ab officio & beneficio simul; aliàs suspensus ab officio non censetur sus-
pensus à beneficio, nec e contra. Interdictum est censura in locum vel personas lata
prohibens Sacramenta quædam, divina officia, & sepulturam interdictis ministrari;
rigor interdicti multum temperatur, *cap. alma mater 24. tit. cit. in 6.*

Cætera tum quoad Censuras, tum quoad alia, hic omiſſa suppleantur ex Theſibus
Theologicis de Anno 1746. Omnia autem; ut tunc, ita & nunc subjicimus Cen-
suræ Ecclesiæ,

F I N I S.

DESSERTA
DE
NSIG
CIVIL
IV
ALMA ET PE
MAGNIFICO
NOBILI, CONS
V. D. HE
PALATI CAESAR
ATQVE PRAN
MAX. DVC. VINARI
AVLICO ET
EX CONS
VSTRIS A
PRAE
PRO
SUPREMOS
L
PUBLI
ROBERTV
DIE XVII
ERFORD

...m, un. *ed.* (specialiter prohibe
 ...gi, *cap. 14, ed.* Si Vicari le
 ...ur quoque hoc libro de
 ...i leu corpori, vel loco sp
 ...atorum: vel potius de un
 ...indirectè violari debent, *cap.*
 ...ntes propriis spoliari possunt,
 ...si privilegii sunt inveni
 ...interpretatione privilegia
 ...ncium extendere: hinc privile
 ...decimas ab aliis possedis, m
 ...d alios, quàm quibus conce
 ...6. Similiter nec ad alta lue
 ...6. hinc exempti ratione
 ...oci aut rei, *cap. cum capta*
 ...e decernit Trid, *sess. 24, de*
 ...49, ex ore 17. *tit. ut, & exem*
 ...m 32. *ed.* qui ratione debita
 ...6. abutentes privilegiis, ve
 ...ut privilegia 24. *cap. ex par*
 ...tra annorum prescriptione
 ...cui sunt concessa; revo
 ...præjudicialia; cessante q

...TA.

...tes remedia.

...te Civili Prætorio inven
 ...n remedium est novi opor
 ...endo, ne opus solo cogit
 ...tra quodcumque jus reale sit
 ...struatur, legalibus 33. *de*
 ...t. adeoque nunciatus delict
 ...collendo, *cap. significavit*
 ...tus jus suum non probat
 ...nri nullum jus competet. Con
 ...mo impuniti; vel qui am

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

R **G** **B**

M **W** **G** **K**

C **Y** **B** **M**

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007